MORBUS


TSÖMÖR

CRITICE ILLUSTRATUS

PER

M. MAURIT. JACOBOVICS,

PHILOSOPH. ET MED. DOCTOREM, ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTRUM.



PESTINI.

TYPIS LUDOVICI LANDERER DE FŰSKÚT.

1837.

Ratione, et Experientia,

Quicunque experitur auget scientiam; qui vero credit auget errorem.

Aboulcacem.

SPECTABILI AC CLARISSIMO

DOMINO

PHILIPPO JACOBOVICS

MEDICINAE DOCTORI,

FACULTATIS MEDICAE IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA PESTHIENSI COMMEMBRO, ETC., ETC.

Patri optimo

Filius ejus amantissimus.

Tango tandem metam mihi a quarta fere jam olympiade praefixam; — toto vitae meae tempore tot, et tanta veri amoris et Tu, et Mater dilectissima in me collocastis monumenta, tanta est Vestrorum erga me benefactorum copia, ut digna his rependere nunquam me posse arbitrer; infanti tenerrimus parens, puero primus, et praecipuus moderator, adolescenti, et viro juveni mentor optimus, et verus semper fuisti amicus, in vita viam boni, ac honesti, in scientia, ac arte salutari tramitem solidae experientiae sequi docuisti. Unde vires, unde facultates repeterem operam, et sumtus in mei institutionem impensos, curam, et sollicitudinem, qua me toties a dira vindicasti Libitina, remunerandi?

Gratus mihi animus tantum unus superest, cui testando, ac pietatis officiis Vobis praestandis vitae impendam spatium. —

Quum itaque primum hunc laboris mei florem publico committerem, illum palam, et me ipsum Tibi consecro, ut perpetuum sit pietatis, animi gratissimi, et integri mei erga Te amoris, et cultus monumentum.

PROOEMIUM.

„Cum omnes artium Professores Liberalium has ipsas pro virili quisque sua diligenter versare, et in usus accomodare hominum tum praecipue Medici debent. Hi enim salutarem illam, ac proprie divinam agitant Artem, Praesidem sanitatis humanae, sine qua nihil in vita svave, ne potenti quidem Croeso esse potest.“ Scientiis itaque naturae, et artis Medicae antiquissimis, reliquis omnibus palmam praeripientibus studium, et operam locavi, vires, et vitam dicavi. Quo magis autem, qua medicus fors olim conterraneorum, scopo potirer, et quo plus iisdem prodesse valerem: provinciam, incolas, eorumque morbos nosse oportet; — doctrinis itaque medicis, quantum per vires, et breve cursus medici lustrum licet, imbuto hoc opus, hic labor est, in quo Baglivii semper duco sequendum esse monitum: „Notum esto juvenibus se doctiorem librum non inventuros, quam aegrum ipsum, cujus morbus illis diligenter observantibus, multa scitu digna brevi, ac fideliter aperiet, quae molesta plurium annorum lectio praestare forsan non poterit.“ Sed et ejus meminisse juvat, nos hodie, et non ante secula vivere, et ante centenos, et millenos annos vixisse viros ingenio, et assiduitate, scientia, et arte aevum

suum longe praecellentes; et illi experire noverant, et experientiam suam tardae tradere posteritati, viam huic sternendo, quo facilius tandem eluetari possit; quare et illorum operam minime spernendam in usus converti, et synthetice simul ac analytice incedens, ad cognitionem morborum Hungariae incubui, et incumbo.

Inter omnes autem, qui Pannoniae affligunt incolas, nullus est morbus, qui illis aliarum orbis terrarum partibus absolute parceret, nullus est morbus Hungariae exelusive proprius. Nihilo secius de morbis Hungaricis plurimos veteres juxta atque aevi medii scriptores doctissime disserere audias, in quos morbos Hagymáz, et Tsömör passim numerant.

I. Nomine Hagymáz, *die hitzige Haupt-Krankheit*, (a nonnullis ridicule in had más, bellum quasi alterum resoluto) vulgus in Hungaria omnem fere affectum acutum, sive sthenicum, sive nevro-asthenicum (Medicis non semper, eo minus plebi nostrae, ut jam C. Stoll monuit, distinctum) delirio junctum designat. Etiam in lexico Ungarico-latino Med. Dris Pariz Pápai habetur „Hagymáz, Phrenesis, *ein hitziges Fieber.* — Hagymázbeteg, Phreneticus, *der dieses Fieber hat, und irrig im Haupt ist.* — Hagymás szeplők, febriles vari, purpurei vari, *die rothen Sprossen, die man im Fieber von der Hitze bekömmt.*" Et in Latino — ungarico: „Phrenesis, bolond Hagymáz. — Typhomania, Hagymázban való bolondozás; — Dissertationem sub titulo: De morbo endemio Hagymáz, *oder hitzigen Haupt-Krankheit.* Joannes Georgius Schüller Cibino-Transilvanus Saxo submisit publico anno 1726. Halae Magdeb. in qua Febrim illam famosam Hungaricam pertractat; verum et Hagymáz et Febris

Hungarica nec proprius, nec endemius est Hungariae morbus, quibus, praeter denominationem, nihil prorsus Ungarici inest; — nomen autem illud omni ex respectu incongruum morbo, sociali generis humani vitae procul dubio coaevo, anno 1566 impositum fuit; quod etiam tunc temporis sub expeditione Maximiliani II. Caesaris contra Solimannum in castris ad Comaromium positis, in quae universi fere Christiani orbis vires convenerant, saevierit. Abhinc morbus per plurimos nostrates aeque ac exteros, tanquam morbus prorsus novus, eousque nondum conspectus, in Hungaria primum ortus, statim absque scrupulosa investigatione patriae suppositae (tum ceteroquin etiam quoad insalubritatem inter germanos pessime audientis) epitheto insignitus: ut febris venenata, antimedica, flagellum medicorum, causus cordis: a variis sub nomine *Febris*, aut *morbi Hungarici*, seu *castrensis*, *Febris petechialis Hungaricae*, *Pestilentiae Hungaricae*, *Luis Pannonicae*, *Phrenitidis Pann. Cephalaeae Hungaricae*, *Inundationis capitis*, *Hagymáz*, et sub eo *Pestis Pannonicae* a Sennerto descriptus fuit, argute tamen postremus monet: „etsi vero tunc temporis haec Febris maxime grassata sit: tamen non credendum morbum novum esse, et tum primum ortum, sed antea etiam notum fuisse, etsi appellationem morbi Hungarici tunc forsan acceperit;“ — et revera sicut ex una parte, monente Cel. Hildenbrand, nullo firmo probabimus argumento morbum hunc post centenos, et millenos primum evolutum fuisse annos, cum tamen causae illi hodie provocando idoneae, a quo hominum genus in consortio vivit, semper adesse potuerint, ac debuerint: ita ex alia parte ampla docet experientia morbum hunc jam antiquissimis temporibus exstitisse, atque proavis medicis cognitum fuisse. Jam

Hippocrates morbum describit ei, de quo sermo est, maxime analogum, hujus etiam seriei est *Pestis Atheniensis* a Thucydide descripta, prout etiam febres pestilentiales, quae diverso tempore praecipue eo bellorum per Italiam, Germaniam, Bohemiam. Moraviam, Galieziam, Poloniam etc. etc. grassatae fuerunt, quod C. C. Wawruch et Hildenbrand in operibus suis de *Typho contagioso europaeo* erudite, et abunde exponunt; *) — ubi historice demonstratum habetur, morbum hunc antiquissimum in aliis provinciis originarie evolutum, et saepe saepius exinde in Hungariam delatum fuisse; quare nomen illud *morbi Hungarici* ignorantiae potissimum productum, theoretice vanum, et in praxi, hodie non adeo, ut olim, noxium e Nosographiis expungendum, aut congrue in iis enodandum foret:

„Quia hoc denique ferre non possumus, ut vulgaris, et universalis morbus nostro nomini inscribatur, quibus hac in re aliud peccatum non est, quam quod corpora habeamus, quae morbis aeque pateant, quam corpora aliarum gentium, et quod contigerit, febrem putridam, malignam Hungariae anno hoc, vel illo epidemicam fuisse" (Fuker de Salub. et morb. Hung. p. 53.)

II. Alter morbus Hungariae, imo secundum nonnullos Hungaris solum endemius, et plane proprius est Tsömör „quem Tsömör, et Plicam Polonicam si in examinibus medicis de Endemiis quaestio est, Candidatus interrogatus si non nominet, magna ignorantia est" (Fucker p 90.) nihilo minus inde a 120 annis nemo auctorum morbum hunc proprio opusculo exsequi dignatus est; — quare cum iterum in mundum literarium educere, eo magis e re futurum censui, quo plura fors exteri de eo supponere possent, et quo magis

etiam litteratura, et variae de essentia morbi sententiae inter ipsos Hungaros innotescerent.

„Qui autem de eo, quod non est, scriberes?" — Scribam ergo: qui idem aliis esse, aliis non esse videatur. —

Quo minor, et exilior est hujus morbi litteratura: tanto majori opera, et tempore venit vel majorem ejus partem adipisci, quod cum forsan paucis tantum continget, et ut fontes rei non solum de nomine noscantur, simulque appareat, quid, quantum ve inde hauriri possit: ea, quae auctores, quorum potitus fui, de morbo commemorant, maximam partem ad amussim attuli, publico commissos rei fontes immediate adire volentibus, eos, ut sunt, offerens.

In re autem ipsa evolvenda opinionem et experientiam quorundam Hungariae, et Transilvaniae medicorum non neglexi, praecipue autem illam complurium Medicinae hujatis Primorum, experientiam Genitoris optimi per sex lustra medici practici, juxta propriam tenuem in usus convertens, historiam morbi concinnavi, eidem, quantum constat, apprime convenientem; styli nitore, ceterisque ornamentis destitutam;. nam ut officio satis facerem, simulque quadamtenus prodessem, haec publicam conspiciunt lucem.

Ubi de partibus agitur, quas tubercula morbi Tsömör occuparent, fusiorem esse oportuit; cum non problema, quod ipse ponerem, solvendum, verum insufficientia, aut plane defectus rationum evincenda fuerant, quibus opiniones aut hypotheses Eorum, apud quos de re inquisivi, fulcire possent. —

Veterum effata saepe saepius adduxi; solamini enim est juniori medico inter tot theoriarum controversias, et excidia videre: observationes, et experientiam eorum, quibus semper

„lex summa fuit naturae voce doceri" per theoriarum procellas allidi, non elidi.

Versionem disquisitionis in idioma patrium, cum solutione quaestionum §. 31 propositarum experientiae sufficienti superstructa, olim publico committendam mihi reverso. —

„Si cubi in re medica peccavi, ut quid falsi subreperet, ut in judicando nimis praeceps essem, ut quid subinde manifesto nescirem: Spero imprimis, quo quis monumenta, et ambitum rei medicae magis cognita habuerit, ee mihi futurum aequiorem judicem. Nam et qnos consumatissimos credimus Auctores nostri omnes, absque omni errore non sunt; et mihi mei vel propterea condonabuntur, quod iuvenis medicus ita operam, et studia in Arte salutari colloco, ut fieri non possit, quin tandem evadam doctior."

§. 1. Morbus Tsömör, vel Tsemer et Hungaris, Germanis, ac Slavis Hungariae, et Hungaris, Saxonibus, ac Valachis Transilvaniae communi hoc nomine venit. — In dictionario Hungarico-latino-germanico Med. Dris Francisci Páriz Pápai: habetur „Tsömör, Nausea, *Eckel;* — Tsömörleni, nauseare, *einen Eckel haben;*“ — et vicissim in tomo Latino-hungarico: „Nausea, Tsömör. De cujus vocis origine tametsi certi quid determinari vix possit“ ait Milleter in dissert. suae p. 11. — „si tamen conjecturae locus existimarem ab hungarica voce Tsomó, quae nodum significat ortum suum duxisse, unde primitus forte Tsomós-ér, i. e. nodosum vas, vel simpliciter Tsomós i. e. nodosus (sc. morbus) a tuberculis, instar nodorum, hoc in morbo palpabilibus appellatus sit, successu vero temporis per abusum *o* in *ö*, et ultimum *s* in *r* mutatum, ut nunc Tsömör audiat, licet aliqui loco *Ts. Cs.* adeoque Tsemer vel Csemer scribant: Et cum vox Tsömör commune nunc nomen sit omni nauseae apud Hungaros, forte (!) a nausea cum hoc morbo subinde (!) concursante, transsumpta demum sit appellatio ad simplicem quoque, vel cum aliis morbis complicatam nauseam.“

In hanc conjecturam saltem monendum est, nauseam primarium, constans, adeoque essentiale, et coaevum constituere morbi Tsömör symptoma, quorum epithetorum nullum nodis, qui termino illi originem praeberent, convenit; — sicut enim certum est omnem ex morbo Tsömör laborantem prius nausea affici, antequam eidem nodi imputarentur: ita nulli sanae dubitationi locus est nauseam ut affectum antiquissimum prius certo nomen sortitam esse, ac de nodis illis, quorum primus morbi Tsömör commemorator Coberus nequidem meminit, quidquam certi constitisset; — si itaque Tsömör (nausea) ante Tsomós-ér (nodosum vas) exstitit, hinc formari vix potuit, et sub voce nullus tropus latet, verum totus affectus morbosus nomine signi ejus primi, et praecipui vulgo insignitur, quod eidem longe magis convenit, ac nomen:

Langvoris Pannonici a Cober, et Windisch; *Astheniae Pannonicae* a Boissier et Baty; *Astheniae Simplicis* a Cartheuser, — aut *Scorbuti mediterranei Daciae* a Kölesséry morbo impositum.

§. 2. Utrum morbus hic Hungariae, aut Hungarorum dicendus sit, utrum eundem ex Asia attulerint, aut hic primum nacti fuerint: ulterioribus medicorum simul Diplomaticorum scrutiniis detegendum relinquendo: hic quando, et quanam sub forma mundum litterarium primum conspexerit, quinam auctores, qualem ad excolendam de eo cognitionem dederint operam evolvendum erit:

Primam quantum constat hujus mali mentionem injecit Thobias Coberus versus finem saeculi decimi sexti medicus castrensis Austriacus, qui ubi Observationibus suis castrensibus, et Hungaricis praefatur ait: „En tibi benevole lector ex pluribus nostris observationibus Hungaricis, et castrensibus priores decades tres Austriacam, Silesiacam, et Svevicam, quarum neutra ni tibi displicuerit, mirabor profecto: Cum abortivus hic foetus certo si per me stetisset, vel ante partum enectus fuisset;" — ut autem pateat, quam distinctam morbi hujus habuerit cognitionem: plura ejusdem capita adducere eo magis e re erit, quo plura ex impuro hoc fonte tardiores nosographi hauserunt. — Anno 1652 Geigerus Malachias in Microcosmo suo Hypochondr. quaedam de morbo Tsömör retulit, quem, ut Milleter nec Lugduni Batavorum, nec in Saxonia obtinere potuit, ita etiam ego hic loci incassum quaesivi; verba tamen ejus Milletero per Reimannum bona fide communicata hinc illinc adducam. — Sequitur Hercules medicus, quem anno 1675 Wolfgangus Höferus in lucem edidit, quibusdam de morbo nostro infra adferendis impraegnatum; — dein Johann. Paterson Hain Med. Dr. qui gente Borussus in vicina Polonia primum aliquantum medicinam factitavit, postea in Hungariam delatus, Eperiesiensium seculo decimo septimo fuit pluribus annis poliater; inter plurimas observationes Ephemeridibus Naturae Curiosorum Germaniae insertas unam etiam, in qua morbi Czemer memor est, habet. — Anno 1707 Samuel Köleséry Phil. et Med. Dr. S. C. R. Majest. rei metallicae per Transilvaniam inspector genuinam magis, et prolixiorem paulo morbi hujus historiam exhibuit. — Post septennium Johann. Theophil. Windisch Posoniensis dissertationem inaug. de Langvore Pann. vulgavit, in qua etsi Coberi jure non probet morbi definitionem, tamen et quoad denominationem, praecipue vero quoad Aetiologiam eum penitus sequitur; — ejusdem argumenti dissertationem inaug. Johannes Milleter Igloviensis anno 1717 (tardius Physic. l. R. civit. Leutschoviensis, et I. C. Scepusiensis)

publico examini submisit, quam ex auctorum allatorum opusculis, ex acceptis a Carolo Raygero jun. (Archiatro t. t. Regni Hung. Palatini) Carolo Ottone Mollero (L. R. civit. Neosol. Phys. ord. et II. CC. Zoliens et Turócz. medico provinciali) Johanne Adamo Genselio (primum Soproniens. dein I. Cottus Castri ferrei Phys.) Johanne Adamo Reimanno (med. Drc., et practico Eperiesiensi) et ab Adamo Bácsmegyi (med. Drc., et I. C. Cömör. Phys.) ad missas complures quaestiones medicas responsis, ex relationibus conterraneorum diligentissime concinnavit, omnes reliquos tractatulos, observationes etc. longe praeeellentem; — ab illo hucusque nemo amplius morbum hunc singulari opusculo exsecutus est, quae autem auctorum recentiores de eo referunt, variis eorum operibus inserta reperiuntur, inferius enarranda, — hic adhuc Joannem Baty commemorando, qui anno 1775 pro Doctoratus gradu assequendo dedit descriptionem quorundam morborum Hungaris endemiorum, in quorum triga praeter Febrim Hungaricam, et Porcellum Cassoviensem, d. *Kaschauer Fercken* (infarctum lienis ob formam ita dictum) etiam morbum Tsömör describit, maximam partem Milleterum sequens; qui autem ille et alii hoc opus perfecerint, nunc jam paulo uberius videre lubeat.

I.

*Langvores Pannonici Thobiae Coberi**).

§. 3. „De langvore, sive morbo Hungarico ex esu carnis male praeparatae **). Cum anno 1598 Theodosia calendis Augusti expugnata, per dies 18 in inferiori Ungaria vagari cogeremur, ... plurimi, et in his magni nominis viri partim ob defectum, partim ob parum coctos cibos morbis Ungaricis puris corripiebantur. Erat in his generos. D. J. G. de K*** qui cum carnes non tam vulcano, quam sole praeustas latranti stomacho obtrusisset Langvorem Hungaricum, qui morbo Pannonico familiarissimus est, confestim sentire coepit . . . . Nam cum tauris castra secuturis abunde pabula suppeterent, horum carnibus solis

*) Coberi Thobiae observat. castrens. et Hungar.
**) Decas I. Obs. 6.

fere vescebamur, ita quidem ut ex mactatu adhuc calentes, trementesque carnes avidis saepe faucibus discerperentur, a sole nonnunquam plus concalefactae, quam tostae. — Hoc autem q. vel solum langvorem Pannonicum infligere possit plurimis persvasum est. . . . Aeger (itaque) noster cum per triduum nausea, anorexia, singultu, et dolore gravativo licet non admodum vehementi colluctatus fuisset sic tamen ut nihil interim de functionibus equestribus, iisque clarissimis, remitteret, me ad se vocato, . . cum ex Dni generosi relatu fomitem langvoris cognovissem, vomitorio nostro sentinam ocyus e stomacho exturbandam asserens" etc. — verbo omne malum mox emetico, et purgante solutum fuit.

„*Est igitur Langvor Pannonicus dispositio ad morbum, ex rerum sex non naturalium, vel prorsus mutato, vel sinistro usu, et abusu, primo hominem ad neutram sanitatem disponens, tandem negligentia sui ad mortem sensim deducens.* — Inter auctores autem, qui teterrimum Luis Pannonicae Langvorem scriptis sunt persecuti, non postremus est doctissimus Thomas Jordanus, qui tractatu *I.* φαινομένων Pestis cap. 19. ex Anni 1566 infausta expeditione Physicum castrensem agens stricte quidem, docte tamen hujus virulenti mali rabiem delineat." — Laudat porro etiam „Doctissimum, atque omnibus numeris absolutum opus de morbis Petechialibus cl. Dni D. Octaviani Roborotae Tridentini . . . cum Petechiae municipali quasi jure symptomatum συνδρομὴ Langvoribus Pannonicis patrocinetur. Apud Hungaros quidem ne litteram ullam de hoc pestifero malo typis excusam vidi: . . . . Quem enim solum sibi Sympatriota suum, et familiarem Luem Pannonicam statuunt: sua lingva **Tochemerle** vocantes, solo allio, aceto piperaceo, et artubus violentiore fricatione vix non excoriatis, levistici simul frustulis aliquot commansis prompte eradicari posse statuunt: adeo, ut hoc solo medelae genere utentes, pauci Lue Pannonica corripiantur, pauciores prorsus decumbere cogantur, — paucissimi exstinguantur" etc. Si ergo lue Pannonica affecti remediis allatis tractentur, lue Pannonica non corripiuntur! —

§. 4. „De Langvore Pannonico ex potu aquae insalubris*). — In Langvoribus Pannonicis inducendis" „primas quoque partes sibi vindicant aquae . . palustres, et sta-

---

*) Decadis I. Obs. 7.

gnantes"*) quibus potissimum adscribit — „quod ex 8 millium quavis laude digna phalange Italorum vix 500 Alpes transcendisse dicant. — Marte paucis, plurimis vero morbis foede confectis." — Hungaros autem noxam harum aquarum usu imprimis allii copiosi effugere notans ingenue simul fatetur: „Nec tamen sua laude defraudandi sunt Hungari nostri, qui in metationibus castrorum munditiem observant longe strictius, quam aliae nationes: in aquationibus quoque circumspectiores sunt, non quasvis lacunas, et voragines exhaurientes: quod plerumque nostrates ad potandum nati, posthabitis sordibus quibusvis, fauces mox evanido liquore paulum delibutas reddentes, strenue factitant, lambendi, sorbendique finem prius non facientes, quam cum ranis in Stygia palude circumnatent."

§. 5. In observatione 8. Decadis I. „De Langvore Pannonico ex potu meraciore vini" crapulam solennem, quae in morbum per biduum delirio junctum evoluta fuit, non solum pro l a n g u o r e, — sed plane pro „m o r b o p e r f e c t e U n g a r i c o" declarat, ex quo tamen lethali malo aeger ibidem allatus, qui secus „singulis diebus vix quinis, imo quod majus senis conchiis (vini) sitim restingvere potuit," intra triduum sanatus est. —

In observatione 9 ejusdem Decadis „De Languore Pannonico ex variis animi pathematibus" Febrim bibliosam in „viro exquisite bilioso admixta melancholia" per calumnias, rixas, affectus lusorios, excessus in Baccho provocatam etiam Languorem Pannonicum appellandam esse minime dubitat.

§. 6. „De Langvore Pannonico ex aëre, decubitu in terra, et similibus**). — Torquebamur aestate (anni 1596) sirio non fervente sed candente: qui mihi cum siccioris temperamenti δυσκρασία colluctanti plurimum negotii faciebat. — Cumque ob decumbentium multitudinem in castris late metatis hinc inde cursitandum, equitandumque foret: paulatim fomitem m o r b i v e r e U n g a r i c i conquirebam . . . Cum sub tentorio putri solo affixus inter vapores tetros pernoctare cogerer: et adhuc hospes barbariei castrensis rudis, erroribus externis obviam ire nondum didicissem, plenis gressibus ad L a n g v o r e s P a n n o n i c o s in funestum tandem morbum

*) Quo etiam limosas quarundam regionum D a n u b i i „qui recte d a n s n u b i u s vocatur, quod nubes, et nebulas densissimas exhalare soleat" — refert. —

**) Decadis I. Obs. 10.

terminandos deferebar" et „paulatim . . . malum incrementa sumens, ad purum putum morbum Ungaricum me deducebat. Nec enim impense calebam, nec nimium sitiebam nec scabritie lingvae, nec erosione oris, ventriculi excruciabar: cerebrum tamen cum lethali totius corporis langvore plus, quam verbis effari potest, phantasia prorsus disturbata, lancinabatur. Vigiliae perpetuae, aut ipsis vigiliis intranquillior somnus concomitabantur. — Cum deiu pluribus diebus per montana superioris Hungariae revertentes, modo sub dio, modo sub casis desertis pernoctare cogeremur, et victu durissimo, qui modo ex semicruda aprugna, vel suilla, modo ex turbidissimo musto, stagnisque constabat, stomachus quotidie gravaretur*) vix tandem vivus Novam domum, quod Neuhäusel nostri vocant perveniebam, — tandem Viennam deferebar" morbum dein describens ait: „Succedebat continua serie pestis pesti adeo, ut ne unum quidem morbis Ungaricis familiare symptoma, tyrannide sua memet non exercuisse senserim. A summo enim vertice ad imos usque talos nil nisi morbus Ungaricus eram, ita, ut vix uno ex saevioribus accidentibus superato nova confestim lues subsequeretur."

His ergo et similibus jam de gastrismis simplicibus, unico emetico sanatis, jam de febribus cum delirio, aut affectione biliosa, castris familiaribus, insana prorsus rabie pestis instar, petechiis, contagio, et internecione atrocissime grassantibus, — ut de Langvore, aut Lue Pannonica, de vero, perfecto, puro, puto, aut toto morbo Ungarico fabulatur, morbum Tsömör manifeste cum Typho contagioso continuo confundens, quin ullibi vel ullius morborum toties damnatorum claram notionem exponeret, aut saltem propria illa assignaret, quibus morbi allegati, ab iisdem in aliis orbis terrarum partibus, per easdem causas provocatis differant adeo, ut nonnisi proprio Pannoniae, aut Hungariae nomine insigniri debeant.

---

*) Adduxi illa adjuncta, ut judicio locus fieret: utrum nam existat illa orbis terrarum pars, in qua tot influxibus nocivis minime a climate dependentibus, simul in organismum agentibus, iste resistendo par esset.

II.

Wolfgangi Höferi Czemer sive Nausea. *)

§. 7. „Causa, signa diagnostica. In Hungaria singulare etiam morbi genus est, ab incolis Czemer, sive nausea dictum. Cujus causam externam statuunt: conceptam nauseam a cibo, potuve nimis avide assumpto. Hanc sequitur lassitudo totius corporis, capitis dolor, frigoris, et caloris reciprocatio, tumores, sive tophi duri, in nucha, carpo manuum externo, et sub utroque genu. — Hoc malum ajunt" (qui?) „interficere posse hominem intra triduum nisi remedio ipsis noto, et consveto ipsis succurratur. Quemcunque igitur dicta symptomata molestant, eum crudeliter cum allio, et aceto fricant, ubi tophi apparent, quousque dissoluti fuerint. Tunc violenta hac frictione fatigatum aegrum pro sudore ad lectum deponunt. — Ad quale autem morbi genus haec symptomata referenda sint, ipsis quoque Ungaris non constat. — Existimarem non inepte reduci posse ad quartum illud Febrium genus, de quo paulo ante: ex corrupto scil. cibo in ventriculo accedente simul subitanea pororum constipatione. Tophi autem illi apparentes, et, si verum est, mortis, absque maturo auxilio periculum, singularem subesse malignitatem arguunt: ut in Plica Polonica; quae etiam uni certae genti competit, et endemia est."

III.

Morbus Czemer Joannis Paterson Hain **)

§. 8. „Morbi endemii in Hungaria nulli, Epidemii saepe, sporadici semper. — Habent tamen morbum aliquem, quem Cremer appellant, nimirum quando nauseam, vel ex cibo vario inordinate sumto, vel a potu nimio contrahunt, cremer vocant, et statim allio ulnam in parte domestica fortiter fricant, hancque partem sibi dolere dicunt: Interim si aqua aliqua cordiali reficiuntur, statim disparet."

Licet auctor in Anno III. Ephem. N. C. pro Cremer, Czemer legendum esse moneat: tamen in Friderico

*) In Hercule medico p. 326.
**) In Ephemeridib. Nat. C. C. l. c.

Hoffmanno, *) in capite „de morbis certis regionibus, et populis propriis" Hainii verba ad amussim adferuntur — pro ulna, solum palma posita.

IV.

Asthenia Pannonica Francisci Boissier de Sauvages.

§. 9. „Asthenia Pannonica, Langvor Pann. Thob. Coberi et Thomae Jordani phaenomenon pestis; Morbus Hungaricus Mangeti Bibliotheca Med. Pr."

„Est debilitas spontanea castrensis, s. epidemica, militibus potissimum familiaris, quae paulatim ineptitudinem ad functiones inducens, non prius malitiam suam prodit, quam homine jam prostrato diuturno decubitu, aliunde quasi mutuatis praesidiis, victor evadens, ad mortem deducat. An typho differat? Hic morbus, qui periculosissimus dicitur, ita metaphorice describitur ab auctoribus, ut eum a consimilibus generibus dignoscere difficillimum sit, plures autem hujus varietates tradit Coberus" quarum dein quinque secundum causas excitantes a Cobero propositas nominat. —

V.

Asthenia Simplex Joh. Fried. Cartheuser. **)

§. 10. „A binis praecedentibus affectibus (Beriberia, et Stupore membrorum) parum quoque Asthenia simplex differt: quippe quae ingens pariter corporis, praesertim artuum, lassitudo, vel si dicere mavis imbecillitas est, a magna nervorum, ac musculorum, motui voluntario inservientium atonia proxime dependens. — Aegri enim insolitam ad consveta munia obeunda pigritiam sentiunt, motum, et cuncta corporis exercitia reformidant, amant quietem, decubitumque supinum, et quidquid suscipere coguntur, tarde, interrupte, et cum titubante conatu peragunt. Loquela tarda, vox tenuis, atque submissa

---

*) Opera omnia l. c.
**) In libello de morbis endemiis.

est; et debilitas corporis nonnunquam tantopere increscit, ut e lecto amplius surgere nequeant de dolore tamen membrorum, et singularis titillationis. et formicationis sensu nullas querimonias gerunt. Notatu praeterea dignum est: pulsum cordis, et arteriarum intuitu vigoris a naturali non adeo multum recedere, indeque manifestum fieri, quod functiones vitales in hoc morbo maximam partem integrae sint, et actionum duntaxat animalium nonnullae magis sufflaminentur.“

§. 11. „Peculiaris hic virium langvor in Hungaria, Guiana, et Virginiae parte meridionali admodum frequens est, et advenas non minus, quam indigenas, imo saepius propemodum priores corripit; non unicam tamen, nec semper quoque, et ubivis eandem, sed plures, atque diversas causas agnoscit, et pro mea sententia modo a plethora, modo a ventriculi imbecillitate, et accumulatis cruditatibus pituitosis, modo a nimia fluidi spirituosi consumtione, et transspirationis cutaneae suppressione potissimum oritur. — In Pannonia, ubi Tsömör dicitur, fortassis praedictarum causarum singulae apud plura tamen, atque diversa individua locum inveniunt. Apud indigenas nimirum, et advenarum nonnullos, qui luxuriose vivunt, ac non solum cibis polychylis quotidie, sed vinum quoque generosum largiter bibunt, plethora cum eminenti spissitudine conjuncta praecipue accusanda videtur, praesertim si otio simul indulgeant. et sangvinem abundantem venaesectione, cujus administrationem indigenae aegre admittere dicuntur, minuere, spissumque motu frequenti aliisque corporis exercitiis ventilare negligant. Apud milites gregarios in castris versantes, quos teste experientia, saepius quam alios hic langvor infestat, causa allegata rarissime subest, sed culpa primaria procul dubio ad pravam alimentorum digestionem, et frequentem transspirationis cutaneae suppressionem redit, quoniam corpora sua victu rudiori alere, sitimque aqua valde haud raro impura, paludosa, atque limosa, praecipue exstingvere. et noctu imprimis parum contecti, sub tentoriis in solo humido decumbere coguntur. — (In Virginia denique Guiana, et aliis quibusdam Americae regionibus continuum fere magnumque aëris aestum, qui nimiam sudationem suscitans, totum corpus succis diluentibus, et spirituosis valde depauperat, simulque ventriculum debilitat, nec minus excedentem tempore anni pluvioso atmosphaerae humiditatem, et forsan etiam potationem intemperatiorem vini adusti Rum dicti inter potiores causas procatarcticas credo,) — Facile dictorum omnia explicatione uberiori red-

dere possem clariora: verum enim vero diffiteri nequeo ac nolo, actiologíam hanc nondum omnibus numeris absolutam esse, et multa adhuc ad historico-medicam hujus morbi notitiam spectantia desiderari, quae illi, quibus proprior investigandi occasio contigit, prius suppeditare debent."

VI.

Synopsis eorum, quae Windisch Joann. Theoph., Milleter, et Baty in diss. suis de morbo Tsömör, referunt, et quae vulgo circa eum agunt.

§. 12. Symptomata. — Inter edendum, vel a capto jam cibo subito patientem sensus quidam horripilationis, unde etiam futurum malum augurari consveverunt, quem, si is adhuc edenti supervenerit, tale statim excipit ciborum fastidium, ut ab esu ulterius continuando abhorreant, quod non tantum per morbi decursum perdurat; sed et morbo jam sublato ita perseverat, ut eum, a quo morbum contraxerunt, cibum ad plures menses aversentur: aut si clam, et non prius, quam ubi langvor invaluit advertente aegro hic morbus subrepserit, quod plerumque ín conviviis usu venit; mox casu occurreute cibo, qui illi noxius exstitit, ex illo, quem natura contra hunc cibum exserit odio, recognoscit illum sibi olim nocuisse. — Horipilationem illam mox excipit langvor totius corporis, anxietas praecordiorum, nausea, ructus molestissimae sensationis, ad nidorosum plerumque accedentes, vomitus fausto omnem morbum ab ulteriori progressu utplurimum impediens: qui si non consequitur, horripilationes fiunt majores, cui subinde aestus volaticus se intermiscet, cum pulsu arteriarum febrili, abdominis inflatio augetur, aliquando cum tormine, semper vero cum respiratione difficili, pandiculatione, et oscitatione, dolore ventriculi tensivo, tractorio, qui ad scapulas, et collum usque propagatur, cujus ea enascitur rigiditas, ut vix caput patientis moveri queat, quod et ipsum dolore primum quidem gravativo adficitur, sed qui mox accedente calore in pulsantem vibratorium, et lancinantem regionis temporalis convertitur. Interea langvor etiam, et lassitudo corporis non ea quidem, quae ex vera debilitate, sed quae ex viribus oppressis profiscitur, increscit vehementius, cui levandae diversos corporis situs circumspiciunt; sed is qualiscunque fuerit patienti incommodus est, cum sedentem vires deficiant, ad molem corporis sustinendam, jacentem in-

somnia, corporisque jactatio vexent. Manus etiam gravitatis sensus, quasi oneris ad earum extrema delabentis, inquietat. Mens etiam in consortium mali trahitur: ea enim hebescit, inquieta est, cum sui ipsius displicentia, et sensuum torpedine, ac apud nonnullos propensione in somnum fere ineluctabili, quem tamen insomnia turbulenta interrumpunt, noctemque inquietam reddunt. Mox calore sensim augescente, venisque imprimis capitis turgescentibus, vel sudor criticus suboritur, vel sub eodem calore nodi, et tubercula duriora, quae non tam visus, quam tactus manifestat, in quibusdam pisi, in aliis nucis juglandis magnitudine, eaque in diversis corporis partibus, puta circa tempora, in collo, dorso, imprimis in nucha, et constanter in antibrachii facie dorsali, in regione, quae ab extremo inferiori radii, ad medium ejus extenditur numero 2 — 4 — 5, quandoque secundum Kőleséry, Geiger, et Reimann *) per totum corpus diffusa — crisi imperfecta, (nec enim his in sua integritate manentibus aeger perfecte restituitur) efformantur. — Solvitur malum hoc totum spatio unius, vel alterius horae, vomitu, imprimis ab initio sponte superveniente; nodis autem jam praesentibus, et aestu incrementum sumente solus vomitus non sufficit. Solvitur etiam per sudorem sponte obortum, aliquando etiam per diarrhoeam. Sicque morbus noster vel intra nychthaemeron finitur, vel alterum ephemerarum spatium explet — etc. — Haec quidem Milleter habet, et Baty; — signa autem pathognomonica Joh. Theophilo Windisch **) sunt: nausea, erga certum, quod nocuit ciborum genus, dolor capitis modo gravior, modo levior, omnium membrorum langvor . . . Interdum inexpugnabilis ferme adest dormiendi necessitas. „De hisce symptomatibus si quis Hungarorum conqueritur, certo hinc colligere solent, Langvore hominem correptum esse Pannonico, quae etiam ratiocinatio eos nunquam fallit.“

§. 13. Qui non solum nativitate, sed et gente Hungari sunt inter ceteros conterraneos longe frequentius hoc morbo afficiuntur, ut adeo iis comitatibus Hungariae, quos meri Hungari unice lingva patria Hungarica utentes incolunt, morbus familiarior esse consvevit, quam aliis ubi Germanica simul, et Slavonica viget (Moller). Hoc saltem certum est in comitatu Gömöriensi, Neográdensique plurimos hocce divexari morbo

---

*) Milleter diss. p. 9.

**) Diss. suae p. 19.

(Windisch diss. p. 13) Peregrini in Hungaria commorantes, nunquam vel solum rarissime hoc morbo corripiuntur, (Milleter diss. p. 10) cujus contrarium ab illis, qui Coberum sequuntur, et morbum Tsömör ab alio morbo Hungarico minus distingvunt, statuitur. Individua cholerica, melancholica hypochondriaca, hysterica saepins illi obnoxia sunt. — Ut causae excitantes passim accusantur: cibi justo majori copia absumti, vel non nimii, verum concoctu difficiliores, in quibus pingvedo (ut in carne verveciua, et porcina) et farina (ut in farinaceis) vel utraque abundat (ut in variis operum pistoriorum generibus) — qui festinanter, masticatione non satis imminuti, saliva, ut primo suo menstruo non sufficienter subacti ingurgitantur. — Pluribus adhuc momentis aetiologicis per Coberum statutis I. T. Windisch (diss. p. 15) nimium variorum fructuum usum, praecipue peponum addit; qui „ob succum sulfureis particulis imbutum in iis contentum crassum, ac flatulentum sangvinis, ac lymphae motum retardantem Langvorem quoque Pannonicum facile gignere solent, — conspicuis etiam hinc inde tuberculis. — Germani speciatim milites sibi sedulo caveant, ne fructibus crudis inasvetis abutantur; sicque praeter alios patriae" (!) „morbos Langvorem etiam Pannonicum propria ex culpa contrahant."

§. 14. Morbi autem, ejusque naturae definitionem singulus aliam intendit: Joh. Theophilo Windisch, refutata definitione Coberi (v. diss. h. §. 3.) „Langvor Pannonicus est dejectio virium facile superabilis paucorum dierum spatio durans, quovis anni tempore endemice grassans, seque in toto corpore, speciatim autem in stomacho, capite, manibus, atque spina dorsi manifestans cum tuberculo praedictis in partibus, frequentissime autem in cute manuum ab aëris crassitie, et impuritate quadam singulari venenosa, et inde ciborum, potulentorumque pravorum avida assumtione, atque animi affectibus, et cum motionibus principium ibidem vitale in suis actionibus naturalibus obeundis quodammodo impedientibus dependens." — Longe magis rem tetigit Milleter, qui (diss. suae p. 14.) ex historia morbi collegit: „Morbum Tsemer modo simplicem esse Nauseam, modo Febrim Stomachicam Ephemerae veterum ex cruditate, et repletione ortae analogam, adeoque Motus extraordinarios a Natura provida provocatos ad vitia primae concoctionis — — per copiosiorem humorum ad organa chylificationi velificantia affusionem, vel corrigenda, vel ad expeditiorem motum facilitando

tandem per superiora, vel inferiora eliminanda, aut si cum ipso jam sangvine mora temporis communicata fuerint, celeriore per porosas peripheriae corporis partes transpressione attenuanda.“ — B a t y o autem (diss. suae p. 12.) morbum: „Initio nervos tantum invadere, sed mox et sangvinem inficere valde credibile est.“ Prius e Causis et symptomatibus facile deducitur, „Posterius vero inde patescit, quod tuberbulorum illorum teste Milletero *), sub calore formatio peregrini cujusdam ex massa sangvinea ejectionem involvere videatur.“

§. 15. Exitus morbi, et prognosim, quales sunt ita pronunciant; — in t h e r a p i a rationali adornanda ceteroquin etiam convenientes, eo solum ab invicem differunt, quod tanto plura, et magis composita in curae coronidem proponant essentias, et elixiria stomachica: quo magis a nostra aetate recedunt.

Nostrates autem hic non uno modo defunguntur: alii enim inedia, alii vero exercitatione corporis, uti sunt: equitatio, et deambulatio, morbum hunc expugnare contendunt; alii utrumque horum inediam nempe, cum corporis exercitio conjungunt. Aliis compressio corporis in usu est, quam ita perficiunt: ut aegrum, brachiis supra pectus decussatis, stantem, alter utplurimum fortior a tergo accedat, sanandum utroque brachio circa pectus prehendat, elevet, comprimat; — aut aeger in scabellum considet, alter autem genu proprio patientis dorso appresso, ejus truncum ad humeros prehensum postrorsum extendit, ac si clavicula fracta in situm normalem reponenda foret; alii adhuc alio modo hanc columnae vertebralis extensionem perferunt; — sonus autem crepitans, qui simili sub operatione, probabilius per tensionem articulationum diversarum, provocatur, etiam pro signo diagnostico morbi, per remedium adhibitum majorem partem jam proffligati, vulgo habetur; — ejusdem fere seriei est remedium quo robustiores praecipue utuntur, procumbunt quippe in abdomen, et puer, aut aliud individuum tenerius nudipes in dorso aegri denudato obambulans non levem in eum exserit pressionem. — Longe plurimi ad frictiones, tanquam sacram Anchoram, recurrunt, quas in dorso secundum spinas, in externa facie antibrachii, in fronte, nonnulli etiam in suris, et infra eas, juxta costas, cum violentia potissimum, qua possunt majori adhibent; efficaciam illarum exaltaturi, alii eas cum butyro, aut axungia

---

*) Qui tamen testis ocularis non fuit.

anserina, vel porcina, prius ad ignem modicum calefactis, instituunt; — nonnulli eidem scopo salivam hominis maxime jejuni, qui si non adsit, obvii perfricantis, alii acetum cum allio, delicatioribus vero simplex, vel salitum, vel pipere, aut capsico annuo acrius redditum, — quidam vinum, crematum simplex, vel oleo aliquo destillato v. g. Succini (Kölesśry) remixtum, vel viribus Radicis Levistici (*Vadpetreselyem, Lestjánfű, Löböstök*) impraegnatum, pro frictione commendant. — „Si in fronte tubercula appareant, refert Joh. Th. Windisch in diss. suae p. 21. „non frictione, sed ingenti capillorum vellicatione, et commotione malum discutiunt. — Effectus hujus curationis non spernendus est, semper enim malum istud hac ratione ad tempus certum dispellitur, ita ut in alliquot annos ad cohibendum morbum hoc remedium sufficiat;" — cui tamen effectui salutari adeo longaevo ut ipse Windisch p. diss. suae 22., ita etiam experientia refragatur.

Neque tamen externis solum remediis conterranci morbum suum impugnant: Vinum etiam merum moderata dosi hauriendum commendant, alii vinum crematum cum pipere, aut capsico, — Essentiam abietis *); (Milleter diss. suae p. 10.) longe validius remedium populare mihi ex relatione p. t. D. Chir. Mag. et J. C. Pest. Chirurgi Jos. Lántz constat: Ipsi videlicet jam ruricolae etiam indicationi causali primum satisfacere volunt, remedii in hunc finem certo efficacissimi usum facientes: in fumisugiis nempe, e quibus tabaci fumum sugunt, postquam nicotiana in iisdem contenta maximam partem combusta est, ad fundum restat, quaedam portio, per quam omnis fumus, qui sugebatur transire debuit, et qua simul, salivae aliqua quantitate impraegnata, minus comburitur, quia plerumque, ubi ad eam in fumando deventum est, fumo acriori, et suctione aliquantum strepitosa redditis, ea non amplius continuatur, sordes combustae ejiciuntur, ut novis deliciis locum cederent, portio autem illa aliquantum humida, pro varia instrumenti magnitudine nucem avellanam, et ultro aequans Hungaris bagó dicta, in usus medicos, vel recens adhibetur, vel etiam pro aliquo tempore in usus futuros conservatur. Quibus ergo cibi copia nocuit, illis pocellum cre-

---

*) De frustulis Radicis Levistici sub morbo Tsömör a populo instar medicaminis commansis, praeter Coberum (v. §, d. h. 3) nemo quidquam retulit.

mati, aut vini, in quo bagó ex uno, duobus, imo tribus fumisugiis, cum illa ruricolarum passim minora sint, subactum est, epotandum proprinatur. Nicotinum, et Nicotianinum ceteraque Tabaci efficacia principia in remedio hoc nanseoso satis concentrata plurimis vicibus, et ventriculum invertunt, et intestina evacuant, ac tandem somnus, qui istos effectus utplurimum sequitur, morbo et curae finem imponit.

VII.

Doctorum Fuker, Haidenreich, et Lübek circa morbum Tsömör experientiae.

§. 16. „Nec mihi, quod in hoc morbo peculiare esset," ait Fuker *), „satis constat; nec aliis, quos hic unquam legi, vel audivi quidquam satis constitisse, compertum habeo. — Hungaros, et non solum illos de plebe, si quocumque tandem morbo corripiuntur, non facile aliud accusare, quam Tsömör plane ordinarium est. Ut adeo hic, et febris calída, et frigida totam illorum Nosologiam vix non constituant. Lati conceptus! et quos non facile concipias, et qui multis jam erroribus ansam dederint!... Imprimis ego geographicas illas morborum descriptiones odío habeo, quae tamen illis authoribus utplurimum in usu sunt, ne aliquid in illa regione praeterire videantur, cujus nempe Geographiam scribunt — Jam quid e. g. de illa morbi Tsömör descriptione colligas, aut quid ex illa homo Medicus intelligat? quam recenter aliquis (*Beschreibung des Königreichs Ungarn 1772*) huncce in modum edidit: *Hier muss ich auch der im besondern Verstande sogenannten hungarischen Krankheit* Tsömör *erwähnen. Sie nimmt ihren Anfang gemeiniglich mit Knoten, welche unter der Hand am Arme entstehen.* — Phaenomenon, quo. vix toto Medicinae tempore aliquis comperce rit, morbum aliquem notabilem incoepisse; et qui si ita se haberet, singularis revera, et endemicus iure merito dici posset. Sed nodus ille absque praegresso alio morbi indicio, et initio qualis esset? Pestilentialis non; nam nec ita malignus est; nec epidemicus, nec praegressis febris pestilentialis symptomatibus ortus, vel iisdem comitatus. — Venereus non; nam

---

*) In Schediasmate de Salubritate, et morbis Hung. p. 91. et seq.

non ita, lues illa primum sese manifestat, et non ita aequaliter, et si jam bubonem habeat, ingvinalem mavult. — Abscessus denique quiscunque, qui de morbi natura absque morbo praegresso sub axillas continuo determinaretur, etiam non. Experientia denique hoc non docet; nam neque illi nodi hoc in morbo reperiuntur, neque tota ejus haec historia vera est"

„Tsömör Hungaris nauseam significat, et fastidium ciborum a praevia ingluvie habere *megtsömörleni:* et hoc proprie morbus est, et ejus causa, quod tantopere singulare creditur. Notum est Hungaros, et gulae indulgere, et cibis delectari, ad faciendam nauseam aptis, pingvioribus carnibus, suilla imprimis, oleribus, et farinis cum multa illarum carnium pingvedine etc. — Morborum ex ventriculo. et intestinis oriundorum longa nimium series est, et vix aliquis, qui inde oriri non posset. Sed ingluviei, et unius in vorando excessus, alimentis aliunde assvetis, et sanis, ut vitium in sola abundantia assumtorum sit, primus effectus nausea est; inde vomituritiones, Cardialgiae, Anorexiae, Astheniae; inde Diarrhoeae, febris omnis generis etc. — Praxis autem morbi Tsömör Hungaris usitata magis singularis est. quam ipse morbus." — Usu dein, et noxis frictionum breviter expositis monet „Symptomatica autem ventriculi vitia cum etiam multa sint; cum Inappetentiae, Nausea, Vomitiones, Cardialgiae etc. etiam citra ventriculi vitium saepe adsint; in errorem vulgus delabi necesse est, quod eadem a primariis morbis, et causam a causa non dignoscit. Ita ergo Hungaris omnis morbus. qui aliquomodo ventriculi debilitatem pro symptomate praedominante habet. et cui aliquando ingluviem praecessisse recordatio est, pro Tsömör habetur. etc."

Eadem Fukeri verba etiam Haidenreich in Medicinae suae Aradiensis p. 32. et seqq. adducit, nec non Lübek l. c. confirmat. Finke itidem in Geographia sua medica (T. II. p. 197.) iisdem utitur, quoad *nodos* ad Milleterum provocans; respectu autem astheniae, qua morbus Tsömör ab aliis auctoribus insignitur, ab aliis stipari fertur, notat: „*Man hat ferner Ungarn beschuldigt, dass hier dasjenige Unvermögen, die Glieder zu bewegen, welches man* asthenia *nennt, häufig gefunden werde — allein* Fuker *läugnet die Gegenwart einer solchen besondern Krankheit, und sagt, sie komme nur als Symptom* (uti reipsa est) *von andern Krankheiten vor. Überhaupt habe ich aus* Mosely *gezeigt, dass es eigentlich keine Krankheit*

sei.“ — Tandem inter antiquitates hujus morbi referenda sunt:

VIII

Ea, quibus Joh. Martin. Knie morbum Tsömör complectitur. *)

§. 17. „Tsömör nach ungarischem Ausdrucke, ist ein Unvermögen, die Speisen zu verkochen, oder Verderbung des Magens, da die Kranken Aufstossen, Blaehungen unterworfen, eine Abneigung deren Speisen fühlen, und anhaltenden Schauer über dem Rücken verspüren, *laut anderer Beobachtungen* aber, die Haut Drüsen (glandulae subcutaneae) anschwellen, wo aber die saburra häufig, und längere Zeit in denen Gedärmen verweilet, saburral Fieber daraus entstehen. Welcher Krankheit, die allhiesigen Insassen vermög häufigen Genuss des Specks, und anderer fetten Fleischspeisen, häufig unterworfen sind. — Die Behandlung dieser Krankheit ist denen Ungarn eigen, und wird nachstehendermassen vollzogen: Knoblauchsaft mit Essig vermischt dienet meistens zur Schmierkur, womit gemeiniglich eine alte Hexe mit meisterlichen Mienen den Rücken beschmieret, und den Kranken tüchtig abreibet, welche Operation in den Händen, als übrigen Körper auch mehrmalen vorgenommen wird. Sollte aber der Kranke von stärkerer Complexion beschaffen sein, dann muss des Kranken Rücken mit Füssen getreten, und abgekneipt werden nicht anderst, als wenn das Kreutz einzurichten wäre. Wo das Übel neu, und die saburra, nicht zu häufig ist, vergehet zwar das Übel mit dieser Reibung, ansonsten aber in ein saburral-Fieber übergeht.“ —

IX.

R e s.

§. 18. Hungari corpora habent, quae morbis pro parte aeque ita patent, ut corpora aliarum gentium; ubi itaque causae status gastrici ponuntur, talis tandem etiam apud nos

*) Clinische Anecdoten p. 16.

evolvitur. — Si quis relative, nimia, aut dyspepta ingessit: praeter sensationem satietatis, ut dicunt, nimiae, percipit in epigastrio sensum ingratum, saepe molestum, etquidem: si copia edulii excesserat, plenitudinis tensivum, — ubi autem ingesti indoles chemica, vel mechanica momentum aetiologicum sistit: magis ponderis, et pressivum; — in priori casu, imprimis si et potus majori quantitate assumtus fuerit, ructus sequuntur fluidi aliquid, jam contenta solum, jam amaro acidum, jam rancidum sapientis, — in os regerentes; in altero autem ructus potissimum saltem aërei ingesta redolent, aut rancidum spirant. Jam ob mechanicam ventriculi ad diaphragma relationem, jam ob dynamicum consensum respiratio passim minor, et rarior normali redditur, cui tamen partim suspiriis, partim oscitationibus frequentius recurrentibus opitulantur; motus musculorum voluntariorum, et encephali operationes langvent, pandiculationibus artuum, et somno, in quem magna utplurimum adest propensio, reficienda; quod ni fiat, et ventriculus contentis subigendis impar sit: satietatis sensus in nauseam mutatur, qua in genere erga omnes, praecipue vero erga cibos animales vix non in omni colluvie gastrica aegri feruntur, cum sapore oris ingrato, imprimis post ructus, aut si quidpiam ingeritur, quod plerumque eundem saporem acquirere videtur, lingva muco saepe crassiore, praeprimis versus medium tecta, versus apicem autem et margines peculiarem ruborem exhibente, — sensus ventriculi ingratus, in dolorem obtusum, saepe constringentem, pungentem etc. exaltatur, ructibus, et vomituritionibus frequentius recurrentibus; quarum langvor prius, nunc dolor accusatur partium, extremitatum videlicet; praecipue autem spinae dorsi; — nec caput liberum manet, sed dolore potissimum premente in regione infraorbitali, ut ipsi oculi quasi comprimi percipiantur afficitur, qui dolor plerumque lateraliter versus tempora excurrit; — ubi potentia nocens nec subigitur, nec eliminatur: horripilationes, frigus, calor, turgor, eo magis aucti, quo plura stimulantia simul ingesta fuerunt, pulsus normali frequentior, ceteris respectibus varius, sitis, sequuntur symptomatum seriem, quam alvus potissimum clausa omni respectu auget; — somnus est minus pacatus, cum sub eodem saepius expergiscantur, circa tempus matutinum gastrica symptomata saperiora sunt, sapor, et halitus oris maxime ingratus, lingva muco copioso tecta, etiam dentes simili muco obducti, — et s nec praedominante sub somno vita plastica saburra concocta fuit: systema gangliosum sub quiete vires nactum, aucta

praevie anxietate, inquietudine, debilitate, et praegresso ptyalismo nauseoso, saburrali, id, quod intus laesnrum erat, susque, deque evacuat. et post somnum imprimis sudori junctum sanitas iterum revertitur; colore saltem faciei nonnunquam pallidiore, aut flavicante, lingvae tegumento, ventriculi imbecillitate nondum penitus evanidis, praegressam affectionem morbosam adhuc indicantibus; — ni autem evacuatio quaedam gastrica, aut perspirabilis cutanei major contingat, morbus in 2 — 3 — 4 dies excurrit, et nec tum solutus decursum Febris gastricae saburralis sumit, aut in Febrim intermittentem abit, imo in adynamicos, nervosos aut putridos explicatur subinde morbos.

§ 19. Praeter illa symptomata morbi, saepissime observantur, alia aegri, quibus jure adnumerantur; Nausea, qua illico sub esu cum horripilatione corripiuntur, adeo constans, ut longe etiam post exantlatum morbum eadem erga causam excitantem specialem ferantur, odore imo solo aspectu cibi illius malae notae movenda. *) Inquietudo major, anxietas praecordialis, cum variis sensationibus dolorificis ventriculi, ut jam de pressione, constrictione, ardore, jam de dolore pungente in eodem percepto conquerantur, quae saepe in Pyrosim, vel in Cardialgiam gastricam exaltantur. — Tussis abdominalis illi, quibus diaphragma, aut pulmones imbecilles sunt per vitium organorum abdominalium saepe tussim acquirunt consensualem, irritativam, profundam, brevem, quae nihil emolitur; — ita etiam illico post pastum per novum irritamentum ventriculi, et nervi pneumogastrici saepe tussicula provocatur, quae subinde sputum ciet, imo in illis, quos haemoptoë haemorhoidalis, absque vitio organico pulmonum primario afficit, post levem tussiculam sangvis exscreatur: — ita ubi ventriculus cibis ultra modum oneratur etiam pulmonibus materialiter plane non labefactatis tussis provocatur, saepe imprimis in infantibus vomitum ciens, et promovens, quem in istis potissimum a nimia ingesti copia mox inducendum vix non semper tussicula praecedit. — Dolores in pectore nec per tussim, nec per respirationem augendi. — Omnia symptomata longe graviora sunt, et molestiora, si aegrum afficiunt cum alvo adstricta colluctantem; hunc

---

*) Feminae quaedam, sed et viri aliqui cibos nonnullos, quos ceterum in deliciis habent, imprimis pisces, quin ex iis se unquam noxam contraxisse recordarentur, utprimum se illis satiaverunt ultro coram videre aversantur. —

enim colici simul dolores, borborygmi, tensio abdominis etc. vexant; tales praeprimis, etiam dolores graviores dorsi secundum decursum columnae vertebralis a nucha ad sacrum extensos, simulque artus affligentes, citra admissum refrigerium patiuntur; — ita, ut norim, et noscam feminas aeque ac viros, qui quotiescunque ventriculum onerando gastrismum contrahunt, quin alterius noxae, ut causae excitantis efficaciam experti fuissent, etiam brachia, et extremitates inferiores. constanter autem medium dorsi occupantibus doloribus afficiuntur, quod in Colica stercoracea, et flatulenta, nostrates saepe saepius exercente vix non perpetuum est. — Non minus peculiari potius a e g r i complexioni, ac naturae colluviei gastricae adscribendus est somnus admodum inquietus, saepe in hoc affectu observandus, sub quo artus hinc inde jactant, in pectore oppressionem valde molestam, ac si pondus grave eidem incumberet experiuntur (et quidem eo magis, quo plures faeces, ac flatus intestina replent) insomniis ingratis anguntur, anhelose respirant, nonnunquam exclamant, ejulant, loqui conantur, aut reipsa loquuntur, quod imprimis in tenerioribus, in pueris, in quibus communicatio, et conductio nervorum adhuc multo vivacior est, saepissime observatur.

§. **20.** Sicut a priori planum est, morbum descriptum non tantum Hungaris contingere, ita per experientiam etiam comprobatur, eidem et reliquos Hungariae, et Transilvaniae incolas absque gentis, et religionis discrimine obnoxios esse; utrum in illis comitatibus, in quibus potissimum Hungarica, viget lingva, ut Moller Milletero retulit, utrum in comitatu Gömöriensi, et Neográdensi, ut I. Theoph. Windisch, nescio cujus experientiae innixus, narrat, frequentior sit, nec ne? alii, quibus magis competit determinent; — rationem probabilem cur Hungari ei saepius obnoxii sint, Milleter fors non incongrue (diss. suae p. 31.) assignavit: „quod Hungari sicut alias in moralibus facile offendi soleant, ita nec in vitalibus“ (potius somaticis) „facile ferant ullas molestias, qualis animi habitus, cum in peregrinis non adsit, facilius etiam vitia concoctionis tolerent. — Quae duo temperantiae studium, et animi mores magis compositi“ (temperamentum raro cholericum) „cum apud Germanicae, et Slavonicae nationis Hungaros, nisi fallor deprehendantur, iis etiam ea de causa rarius evenire morbum hunc auguror, quam stricte dictis Hungaris.“ — Peregrinos tamen in Hungariam advenientes eo facilius gastrismis affici, quo minus temperantiae student,

ut rationi, ita et experientiae consentaneum est. — Nullibi inveni infantes, frequenter adeo stomacho laborantes, morbum Tsömör pati; e benigno certe naturae instituto; quia validam, quam morbus requirere passim existimatur curam incolumes vix ferrent; pueri tamen saepius ex illo laborant, ut plurimi se pueros eodem affectos, curam admodum dolorificam, lacrymas iisdem cientem experiri debuisse mihi perhibuerint; utrum autem pueri, juvenes, viri, aut senes, vel sexus sequior, et ille sub variis vitae suae periodis, utrum hoc, vel illo temperamento, et habitu praediti morbum hunc saepius patiantur, tunc suapte patebit: si morbi Tsömör cum gastricismo, aut Ephemera gastrica identitas evicta fuerit. Facillime invadit eos, quibus systema gastricum sive e jejunio praegresso, sive ex haemorrhoidum, arthritidis, apud nos frequentissimis, e hypochondriae, aut hysteriae pathemate magis imbecillum redditur; constat individua similibus affectionibus chronicis laborantia saepissime specie polyphagiae, sive e dynamica plexus gastrici labe, sive ex abnormi humorum digestioni inservientium crasi, ad majorem ac par esset dapum copiam, saepe cum aviditate ingerendam adigi, sicque diathesi momentum excitans addendo in gastrismos incidere, morbum protopathicum semper augentes. *) — Ruricolae saepe, ut et domini terrestres, nobiles ruri degentes, lautissime utplurimum, et minus active viventes, frequenter morbum hunc patiuntur, praesertim hyeme, tempore bacchanalium, quo suilla multum delectantur — In amplissimo nosocomio L. R. Civitatis Pestiensis, in quo ad quatuor millia aegrorum quotannis curantur, ut mihi per P. T. Sptblm D. Leopold. *nob. a* Windisch Med. Doctorem, ejusdemque Xenodochii Medicum, et Directorem, optime meritum benevole communicatum est, se morbo Tsömör affici potissimum accusant bajuli ad domorum aedificationem laborantes, qui saepe victu simplicissimo, larido a potiori absoluto, utentes, interdiu graves perficiunt labores, noctem autem sub diu transigunt:

---

*) Vir quidam cholericus, haemorrhoidarius pro varia ingestorum peccante indole jam in gastrismum Tsömör, jam in spasmum ventriculi, jam in Colicam incidit. — Ejus filia autem puella 20 annorum, nervosa, ceterum sana, quotiescunque cibum aliquem cum peculiari cupidine ederet, repente horripilatione corripitur reliquis morbi Tsömör signis maximam partem subsequis, frictione adhibita brevi solvendis; ut adeo cibis, qui ei maxime arrident semper cum metu, ac pavore vescatur.

quandoque his potentiis non resistunt, in morbum incidunt, qui illis nihil nisi Tsömör est; frictione illi mederi adlaborant, qua non respondente ad nosocomium confugiunt.

Inter momenta excitantia, quibus morbus potissimum originem suam debet, rationi, et experientiae consentanea juste a Milletero assignantur, cibi copia, aut indole digestioni alieni, qui utplurimum saburram rancidam, aut mucoso-rancidam generant, praeterquam Rayger, Moller, Gensel, Raimann, Bácsmegyi nullam memorant causam excitantem; — Cober simul aquas limosas, potum excessivum vini, et cerevisiae, animi affectus, aërem Hungaricum, Langvorem suum Hungaricum cum Typho contagioso confundens accusat; neque tamen *vigilias* ut a Millctero (diss. suae p. 18.) de prima observatione Decadis secundae Coberi praetenditur, in hac enim refert: „Nobilissimum Equit. E. a Z." quin peculiare momentum aetiologicum assignaret, in Langvorem Pannonicum paulatim incidisse, qui tamen nullo Symptomate graviore, quam continuis vigiliis, et perenni, sed blanda mentis abalienatione exaggerabatur" etc. — Hain, et Höfer (§§. diss. h. 7. 8.) praeter cibum, etiam potum nimium morbum, de quo agimus, excitasse ferunt; — Joh. Theoph. Windisch (§. diss. h. 13.) etiam, fructuum, imprimis peponum immoderatum usum, ejusdem accusat criminis; neque dubium est, per abusum fructuum, imprimis immaturorum, gastrismos etiam plurimos evolvi, cum tamen, ob simultaneum aliarum causarum concursum, imprimis ob genium epidemicum autumnalem, mox in diarrhoeam, dysseuteriam, aut febrim intermittentem explicetur: fructus nec observatoribus, ut causa morbi Tsömör, notantur, nec vulgo habentur. — Novi feminam cholericam, in iram admodum pronam, quae quotiescunque huic indulserat, citra admissam aliam gastrismi causam (quod ceteroquin notum est) saburrae phaenomena, cum reliqua symptomatum supra enarratorum cohorte, exhibuit, morbo Tsömör se affici prodidit, et post frictionem per medicatricem etiam institutam post mediam, aut unam alteramve diem restituta fuit. Aviditatem etiam vulgo culpant, quacum cibi quandoque ingeruntur; haec tamen sola non inducet morbum, verum causa illius aviditatis, (fames nempe, et ventriculus jejunus) ac effectus, utpote minor ciborum comminutio, et commolitio, omnino morbum, de quo agitur, provocare valent, et saepe provocant. —

Licet ergo nec a rationi alienum sit momentis allegatis vim statum gastricum producendi competere, licet per morbos

catarrhales, et rheumaticos, per animi affectus ingratos, deprimentes, aeque ac excitantes status saburrales secundario, et primario saepe provocari notissimum sit: fatendum tamen est; etsi causae illae enumeratae subinde in morbum concernentem excitandum conspirent, simul etiam commissum in cibo delictum suam ad id conferre symbolam, et hanc potentiam nocentem, saltem non in plerisque casibus solam, et unicam morbum quaestionis producere

§. 21. Respectu Nosogeniae, et Nosologiae alienationem vitae plexus gastrici (nervis pneumogastricis et plurimis ramis cerebri abdominalis, seu plexus coeliaci constantis) prima morbi jacere initia, totum systema gangliosum, dein spinale, nec non cerebrale, ac systema sangviferum sympathice affici, hanc autem affectionem in morbo, quem tractamus causatum primum, seu causam phaenomenorum ejus proximam, seu naturam illius sistere abunde probant: functionum, quas eadem systemata praecipue regunt, turbae, citissime saepe in individuis sensilioribus, irritabilioribus (sive e primaria systematis nervosi, sive e hypochondriorum, et uteri labe id facta fuerint) per laudabile etiam edulii genus, nec copia alienum, sed cum peculiari aviditate praecipitanter deglutitum, ut stimulum heterogeneum sistat, imo per solius irae provocationem evolvendae. —

§. 22. Morbus est vitae internae organismi mutatio, qua ejus evolutio turbatur, destructio promovetur, et motus organicus a norma sua recedit; atqui enarratae §. 18. vitae normalis alienationes sistunt talem mutationem, qua per 1 — 4 dies harmonicus functionum concentus sanitatem distingvens turbatur; unde affectum istum non saltem „*dispositionem ad neutram sanitatem disponentem*" (Cober) sed reipsa morbum esse evincitur, — cujus denominationem veram, et completam molientes, eam minime ab unico symptomate desumemus, verum terminis: *Langvoris Pannonici, Astheniae simplicis, aut Pannonicae,* aut plane *Scorbuti Mediterranei Daciae*, tanquam incompletis, incongruis, et inconvenientibus prorsus rejectis, — nomine Tsömör plebi relicto, — tale, quo ejus natura, forma, varietas determinaretur simulque therapia rationalis indigitaretur daturi, cum:

Febrim gastricam ephemeram, dicemus, quae identica est cum *Ephemera ex satietate*, *aut cruditate* Galeni, Aetii, Alexandri Tralliani Avicennae, Sennerti, cum *Ephemera nauseativa*, *Ephemere d' indigestion* Sauvagesii, et apprime convenit cum *Febricu-*

la digestionis Ephemera Friderici Hoffmanni, quam in Med. rat. T. II. Philosoph. corp. humani morbosi Pte II. Cap. II. §. XXIX. breviter, et exacte ita describit: *)

„Famelici si plus justo sese avidissime sumtis cibis, praesertim pingvibus replent, in febriculam quandam ephemeram; quae digestionis appellari poterit, subinde incidunt, siquidem non multo post cibum sumtum ventriculi inflationem, cum summa anxietate, inquietudine, et spirandi angustia, et dolorem ventriculi tensivum persentiunt, qui ad scapulas, ad fauces, et ad ipsum caput progreditur, quod graviter dolet; facies rubet, et mens incipit fieri inquietior. Praeterea langvor totum corpus occupat, extremae partes inalgescunt, tempora pulsant, pulsus durior, et frequentior fit, alvus constringitur, et hic paroxismus plerumque intra aliquot horas, supervenientibus ructibus, vel vomitu, aut sudore solvitur." — „Scholion" „Hunc effectum ego aliquoties observavi in hypochondriacis famelicis, et hujus symptomata ab inflatione stomachi unice mihi repetenda videntur, cujus dextra pars saepius in tumorem vesicae inflatae instar, juxta scrobiculum cordis in dextro latere attollitur. A nimia ergo ventriculi, qui totus nervosus est, distensione, nervorum paria, praesertim intercostale, et octavum" (nobis decimum) „tensionem et tractionem patiuntur, unde partes, quas pertranseunt spastica strictura affici, et haec mala produci, non mirandum est. Similem morbum Hungaris endemium, qui vocatur Tsoemer in peculiari Dissert. Dr. Milleter erudite descripsit." —

Quam incongrue morbus iste a Cartheusero cum *Asthenia Virginiae,* et *Guianae* conjungatur differentia, quae inter causas, et symptomata illius, et harum intercedit abunde docet (§§. diss. h. 10. 11.) Verum, et a supra adductis affectionibus gastrico-febrilibus ephemeris morbum Tsömör distinctum habere volunt: per tubercula, et nodos characteristicos huic unice proprios.

§. 23. Notissimum plane nostratibus est, in singulis partibus quae sub Tsömör doloribus, aut saltem langvore afficiuntur frictiones instituendas esse tubercula resolutum, quae (§. 12. uberius descripta) sub cute reperiri volunt: vix non apud omnes in facie dorsali, et latere radiali antibrachii, apud multos etiam in collo, et dorso secundum spinas,

---

*) Frid. Hoffmanni Medicina rationalis. IV. Tomi. Francof. ad Moen. 1738. 4.

ad suras, apud paucissimos in capite; — ubi autem de organis, in quibus tubercula illa sedem suam haberent, quaererem, varias quidem a diversis Medicis audivi opiniones, quarum tamen singula facili negotio everti potest; — ne ergo ulla praetermittatur, singulae regionum assignatarum partes constituentes examini subjiciendae erunt, in quantum illae tuberculis memoratis sedem praebere possent; cum autem facies dorsalis antibrachii in omni ex morbo Tsömör laborante aegro symptoma quaestionis exhibeat, hanc pro reliquis in seqq. §§. inquisivisse sufficiet. —

§. 24. I. In cutim externam sedem tuberculorum nemo collocaverit perpendens:

a) nec folliculos sebaceos, quorum maximorum diameter secundum microscopico-micrometricas disquisitiones mediam, aut tres quartas lineae Parisinae aequat, *) — nec longe minoris certe diametri coecos fines canaliculorum spiralium sudoriferorum Purkinjii **) per simplicem causam gastricam, intra tam breve tempus molem pisi, aut nucis avellanae, vel plane juglandis adipisci posse.

b) Si vel minora tubercula in folliculis illis sedem figerent: illa oculis usurpari possent: cum sola cutis contractione per frigus inducta, folliculi illi per se mole certe non aucti, quin imo imminuti, aperte in conspectum prodeant, cutim anserinam, sic dictam, constituentes. Habet quidem Joh. Theoph. Windisch diss. suae p. 13. „Durum quippiam glandulosumque corpus, tubercula sub se continere ipsemet tactu, visuque Jenae in studioso conterraneo frequentius hoc morbo laborante expertns sum.“ — Omnes tamen reliqui veteres aeque ac recentiores tuberculorum defensores unanimes consentiunt: nodos morbi Tsömör non visu, verum solum tactu deprehensibiles esse. —

II. Stratum cellulosum, subcutaneum. — Textus cellulosus secundum disquisitiones microscopicas constat fibrillis subtilissimis jam Treviranọ, et Krausco notis, quae saltem diametro earum 400 vicibus aucto conspiciuntur, ***) lamellas, et fasciculos efformant: quae diversis-

---

*) Fried. Hildenbrandt's Handbuch der Anatomie d. Menschen. Vierte umgearb. und sehr vermehrte Ausgabe v. Ernst Heinr. Weber. IV. B. — Braunschweig 1830. 8. I. B. s. 411.

**) Joh. Müller's Handbuch der Physiologie des Menschen 2-te Auflage. Coblenz 1835. S. I. B. S. 417.

***) Joh. Müller's Physiologie I. B. S. 410.

simo modo inter se unita, textum quasi aranearum irregularem sistunt, cujus interstitia inter se communicantia, et adipem, materiam omni organisatione expertem, continentia panniculum adiposum constituunt, in quem sedem illorum nodorum reponere audax esset hypothesis: cum explicatio partialium istarum indurationum, adeo cito contingentium, vix non majoribus, ac ipsius Scleroseos Indurationis textus cellulosi infantum Nosologia prematur difficultatibus.

III. Pars dorsalis aponevroseos antibrachialis adeo tenuis, et densa est, tam paucis, et tenuibus vasculis instructa, et eandem sub morbo Tsömör, per eum, laborare, vix sit, qui asserat.

§. 25. — IV. Musculi in facie dorsali antibrachii duplex stratum efformant: superficiale complectitur: M. M. extensorem carpi ulnarem, extensorem proprium digiti minimi, extensorem quatuor digitorum communem, et extensorem carpi radialem brevem, et longum. Portio tendinosa musculi extensoris quatuor digitorum communis, est species membranae fibroso-cellulosae, bursis mucosis vaginalibus circumdata, in qua subinde valde molles, et valde magnae moleculae adipis, illis in orbita reperibilibus, similes, deprehenduntur. Stratum profundius: M. M. extensor pollicis brevis, et longus, abductor pollicis longus, et extensor indicis constituunt. Tendines horum musculorum versus carpum, ab ulna ad radium computando, ita decurrunt, ut tendo extensoris carpi ulnaris in sulco ulnae, juxta processum styloideum, tendines extensoris communis, et indicis in sulco primo majori extremi inferioris radii, extensoris pollicis longi in sulco medio minori, et extensorum carpi radialium longi, et brevis in sulco tertio, et maximo ejusdem apophyseos siti sint. Musculus extensor brevis, et abductor longus pollicis e profundo ad superficiem ad latus externum, et anterius radii juxta extensorem quatuor digitorum communem, super tendinibus extensoris carpi radialis longi, et brevis directione quodammodo spirali, a facie dorsali ligamenti interrossei, versus processum styloideum radii ad pollicem tendunt; unde uterque musculus simul supinatorem pollicis, et manus constituit. — In istas ergo partes musculoso-tendinosas Milleter, et Baty sedem phaenomeni morbosi, de quo agitur, collocant; habet enim Milleter diss. suae p. 28.:

„Proximius itaque ad veritatem me accessurum confido, si subjectum horum nodorum eam cumprimis musculorum extremam constituam partem, quae initium tendini praebet, id

quod svadere mihi videtur: tum locus in genere nodorum, deprehenduntur enim in musculoso - tendinosis partibus nostri corporis, innuentibus hoc D. Bácsmegyi, conterraneis, ex parte Geigero, Raimanno; tum in specie nodi illi notissimi circa carpos manuum, quos uti reliquias ab hoc morbo sub nodorum forma, conterranei eodem saepius olim vexati, mihi in manu sua ostenderunt; hi enim nihil aliud sunt, quam musculorum pollicis extensorum*) extrema in tendines jam jam terminatura, quae etiam in sano statu, et non solum apud Hungaros, sed omnes peregrinos quoque tactui nodos aemulantur, atque quisque in manu sua eosdem, videlicet 1 vel 2 pollices transversos supra carpum in externo latere manus, supra radium (scilicet e regione pollicis) offendere potest, si paulo durius premendo ducat v. g. pollicem alterius manus nonnihil a carpo versus flexuram cubiti." (Facillime tanguntur illi tendines antibrachio, et manu in pronatione constitutis, et manu proprio pondere ex antibrachio dependente.) „Id tamen monuerunt conterranei, hos nodos sub morbo Tsömör majores evadere. Notandum insuper duco, iisdem conterraneis docentibus, nodos palpabiles non ubique in eodem subjecto eandem habere magnitudinem, sed alios magis, alios minus protuberare, unde aliqui etiam nonnisi hos nodos, circa carpos manuum, et spinam dorsi occurrentes, mihi nominare poterant. — 2. Quod nodi non mox initio morbi appareant ita increti, sed post complures primum horas, quod D. Moller etiam innuere videtur, dum dicit vomitus salutares esse, si ab initio mox morbi contingant, antequam nodi appareant, et aestus incrementum sumat, ut adeo nonnisi sub aestu eos increscere probabile sit. Quibus praemissis facile conceptu esse arbitror, tubercula haec ea ratione efformari, quatenus extrema fibrarum muscularium in tendines terminantia, sub aestu magis distenduntur, quae cum alias etiam, et majorem duritiem, et pressae majorem dolorem, quam medius musculorum venter exhibeant, nil mirum dura hoc in morbo quoque apparere, et fortiter pressa, exquisitum dolorem ciere. Non difficilis etiam esse potest ratio, cur pro diversitate subjectorum majora, vel minora deprehendantur haec tubercula? Quod videlicet pro ratione aetatis, magnitu-

---

*) Potius extensoris brevis, et abductoris longi, quo etiam reliquos tendines hic loci concurrentes referre oportet.

dinis personarum, et temperamentorum, magis vel minus torosae esse soleant musculorum fibrae. Cur vero in iis majora tubercula deprehendantur, qui saepius frictione morbum hunc profligarunt, in praesens non determinabo, cum nesciam an etiam extra morbum majores nodos exhibeant, in iis enim, qui manu nodos mihi ostenderunt, modo aequales meis, modo majores erant, differentiae tamen ratio illico patebat, quod hi torosiores etiam me fuerint. Nec tubercula circa tempora impraesentiarum explicanda in me suscipiam, cum alii eadem negarint, alii, qui in nonnullis ea deprehendi audiverunt, locum in specie certo determinare non potuerunt, an videlicet superius prope bregmatis ossa, vel alibi observentur, qua de causa certi quid elicere mihi non licuit etc "

Baty autem in declaranda origine horum tuberculorum suspicatur quaedam diss suae p. 15. „Joan. Mar. Rocca in tractatu de febribus a Chyli cruditate productis Feltriae 1751. inter quas et morbum nostrum quadamtenus censeri posse propria iis symptomata, in nostro etiam morbo occurrentia, svadere videntur, refert in febre e chyli cruditate laborantium mucosam sangvinis superficiem observari... cui simile quid in arthritide contingere, ex Ligero discere licet; — imo jam olim Hippocrates ex repletione talem mucositatem generari pulcre novit: mucum enim, et salivam repletionis indicis constituit eamque quocunque tempore commoveri contigerit, febres cum horrore excitari, exercitiis citra lassitudinem, et vomitione curandas (De Sanor. Vict. Ratione L. III. C. III. Edit. Halleri) Pone nunè hanc vel similem materiam ex assumtorum cruditate generatam ope febriculae nostrae ex sangvinis massa expelli; eamque vel in vasorum tendines nutrientium plexu stagnare, vel in vaginam tendinum, vel in subjectam his tendinibus cellulosam deponi, nobis enim perinde est, idem et de carnea musculorum parte dictum esse volumus: nullo negotio tuberculorum istorum origo explicatur: praesertim si adsumserimus. quod nec precario fieri crediderim stricturas cutis spasmodicas, et vasculorum sub calore etiam non ita bene relaxari, ut materiae criticae, sed viscidae liber pateat exitus."

Sed nec partem extremam musculi, qua in tendinem abit, nec tendinem ipsum, nec vasorum tendines nutrientium plexum certo exillissimum in nodos illos intumescere facile concipias:

a) Musculorum enim, et praesertim tendinum structura adeo firma, et stricta est, ut cita origo temporaneae illius hypertrophiae eo difficiliorem admittat explicatum, quo exiliora sunt vascula praecipue tendines nutrientia.

b) Materiae peccantis in partibus memoratis tam cita coacervatio contingere nequit. — Secundum observationes, et experimenta D. Beaumont *) in ventriculo viri St. Martin instituta: chymificatio suillae, et translatio chymi inde parati in duodenum, — digestione ceterum non laesa, in quinque, usque sex horas excurrit; — quamdiu nunc adhuc chyli per bilem, et succum pancreaticum elaboratio, ejus resorptio per vasa chylifera, per glandulas mesentericas transitus, in ductum thoracicum, et massam sangvinis translatio, ac tandem ejusdem jam ut sangvinis elaborati ad concernentes secretionis, et nutritionis focos propulsio durabit? — Etsi lubens concessero digestionem viri St. Martin respectu temporis aliquantum deflectere: etsi norim quasdam adsumtorum partes jam in ventriculo absorberi, ceterum chymificationem successive contingere, et tempus 5 — 6 horarum supra assignatum, quandonam omne ingestum, in chymum mutatum, in duodenum transiverit, indicare: tamen etiam concedendum est, ventriculi functionem sub morbo Tsömör, tantopere saepe a norma deficere, ut post 6 imo 24 horas ingesta indigesta, sponte, aut ad emeticum exhibitum rejiciantur, ac proinde nec quoad quantum positivam in eo obtinere sangvinis exaltationem; quin imo, cum sub talibus adjunctis omnis vegetatio inde a prima sua radice langveat, faciliorem deficientis, quam luxuriantis nutritionis phaenomena admitterent explicatum.

c) Pone, per morbum Tsömör provocantur nodi in ex-

---

*) Notum est D. Beaumont occasionem habuisse digestionem in viro observandi, qui per vulnus sclopetarium abnormem ventriculi aperturam satis magnam nactus est, aperturae hujus margines cum labiis vulneris concrevere, per plicam a membranis ventriculi efformatam, ex superiore, et posteriore margine vulneris ortam illa passim obtegebatur, et pressione ad plicam adhibita aperire potuit. Per hanc aperturam in parte sinistra, et superiori ventriculi; versus finem superiorem curvaturae ventriculi majoris sitam, 3 pollicibus a Cardia distantem, viro in dorso jacente, pressione moderata ad hypochondrium dextrum applicita, corpore simul aliquantum versus latus sinistrum directo, bilis per Pylorum, et tubum elasticum in aperturam ventriculi illatum effluxit; pressione a parte inferiore regionis epigastricae superiora versus directa Chymum e ventriculo obtinere licuit. Ventriculus, artificiali modo extensus, ad profunditatem 5 — 6 pollicum investigari potuit. — Observationes circa digestionem hujus viri D. Beaumont in diarium collegit, in quibus etiam tempus quod singulum alimenti genus ad sui concoctionem et e ventriculo in duodenum eliminationem requisivit notatum habetur. — (Müller's Phys. S 512.)

tremis musculorum jam jam in tendines abeuntium, aut in tendinibus ipsis; — quarenam musculi extensor, et abductor pollicis, ceterique in dorsali antibrachii facie siti musculi, et tendines prae reliquis peculiari illo a natura gaudent favore: ut symptoma distinctivum morbi, ex hypothesi Hungariae, aut plane saltem Hungaris proprii, in illis solum, aut praecipue, non item in aliis corporis musculis resideat? — Quare praeter Kölesćry, et Geiger nemo in morbo Tsömör tubercula per totum corpus diffusa observavit? Plures quidem de similibus in dorso, collo, nucha, longe paucissimi de talibus circa tempora fabulantur?

d) Si tubercula illa efformantur per sangvinis in partes concernentes congestionem, quare haec congestio non contingit in partes sangvine, et vasis abundantes, quare cetera organa vasis refertissima, ut glandulae majores, a simili congestione immunes manent? Dum partes adeo firmae, et densae, et strictae ea afficerentur.

§. 26. V. Arteria interossea nimis profunde jacet, et radialis, ac ulnaris nonnisi per anomaliam in dorso decurrunt; ut adeo vix quisquam anevrismata parva in morbo Tsõmör efformari statuat. — Sed tanto plures:

VI. Venas, ut nodorum nidum produnt; in antibrachio situs profundus venarum interossearum eas a tali imputatione defendit, quae potissimum saltem cutaneas radialem, et ulnarem posteriores ferire posset: sed quantum et istae a simili alienatione alienae sunt patet:

a) Quod, systemate sangvifero, quod organisationem secus integerrimo, cruditate primarum viarum acquisita, repente varices in antibrachio efformari: nescio quis facili concipiat negotio.

b) Si Venae in nodos quaestionis intumescunt: qui fit, ut eadem vasa in statu normali vix calamum scriptorium tenuiorem lumine aequantia, visui distinctissime patentia, hunc dum in variis locis ex supposito pisi, aut nucis avellanae, aut plane juglandis magnitudinem adipiscuntur, effugiant? — Qui fit, ut varices nodos sistant (?), qui ad rudissimam frictionem, et pressionem non comprimuntur, sed crepitant — ? Quare venae antibrachii, et plane saltem 1 — 2 pollicibus supra carpum patiuntur (?), ceteris a malo potissimum immunibus!

§. 26. VII. Vasa etiam lymphatica a nonnullis in nodos morbi Tsömör attolli culpantur, rem breviter expedientibus: per cibos polychylos vasa chylifera nimium repleri,

sicque etiam lymphatica in variis partibus intumescere (!) ejus solum immemoribus:

a) Quod cibi illi polychyli plerumque digestu difficiles, ut jam supra monui longiori tempore ad sui concoctionem egeant sub gastrimo, quam sub statu normali, imo quod illa sub statu gastrico saepe nequidem perficiatur, in quibus casibus vasis chyliferis minus, et non plus, ac secus absorbendum offertur.

b) Notum est, et jam superins §. 25 memini longum iter, quod alimentum ingestum sub continua metamorphosi peregrare debet, donec ad ultima tandem nutritionis, aut secretionis officinas devenit, e quibus dein vasa lymphatica emergunt. — Nemo non novit Scrofularum morbum, praesente peculiari vegetationis labe chronica, a prima ejus radice ad ultimum florem, et fructum extensa, cum peculiari lymphae, et vasorum lymphaticorum alienatione tandem evolvi; — sed acutam adeo, et colorem, et transitoriam simul hujus systematis (quod ultimum quasi sphaerae, et circuli vegetationis constituit gradum) abnormitatem per simplicem, et ephemeram digestionis ab ingluvie laesionem produci, quomodo enucleandum sit, mihi tantum non constat. Neque Cirsus characteribus physicis, nodis morbo Tsömör passim adscriptis gaudet, nec strenuam adeo medendi methodum, impune ferret. — Sed

c) omnes empyrici tuentur: „Multa alia longe esse in thesi, alia in praxi" et „Multa fieri, quin qui fiant intelligamus!" — Verum sterilis, et vana est illa Theoria, quae solidam experientiam non pro basi, ac fundamento agnoscit; cum autem et hodie multa ab empyricis statuantur, aganturque talia „Ut magis quid quisque persuaserit sibi appareat, quam quid evidenter compererit*)" imaginaria omnino saepe dicenda est, quam ut genuinam ventilant, experientia, quae ex vera, et firma (amplissimae jam experientiae superstructa, adeoque rerum naturae apprime respondenti) Theoria derivari, aut eidem subordinari nequit. — Quae autem a priori supra deduxi per ea, quae praxis docet, belle confirmantur: Si vasa lymphatica symptoma morbi hujus distinctivum recludunt: an non prae ceteris individua habitu lymphatico praedita, in quibus systema illud alioquin jam imbecillum est, illi vel maxime obnoxia esse deberent! Sed morbum Tsömör Hungaris per eminentiam convenire plerique contendunt: jam vero

*) Celsus L. II. C. 33.

Hungari quousque tantum Germanicae, et Slavonicae gentis conterraneis non miscentur, lymphatici, scrofulosi rarissime sunt, imo habitu toroso, fibra firma, stricta, ut cholerici excellunt, et in eo tandem conveniunt omnes, praecipue tantum individua similis habitus, et temperamenti morbo illo obnoxia esse, neque meminere scrofulosos de morbo Tsömör perpesso multum conquerentes. Porro

d) si in vasis lymphaticis, nodi illi resident: quare non potius volarem occupant? Ubi vasa illa ex hypothesi eis sedem praebentia longe plura decurrunt. An non glandulae lymphaticae, prae vasis nodis illis affici deberent?*) Jam vero de illarum per morbum Tsömör immediata passione nec quidquam notatum invenio, nec expertum habeo; nodi enim, qui in collo occurere praetenduntur, saltem in nucha, et secundum spinam reperibiles habentur, ubi prout in antibrachio, pauca vasa, et vix ullae glandulae lymphaticae resident; partes autem colli, axillarum, ingvinum glandulis lymphaticis refertissime, nihil abnormis per morbum quaestionis nanciscuntur

Quibus sententiam, qua nodorum morbi Tsömör sedes in vasa lymphatica reponitur, per tot eidem opposita abunde profligatam puto; et quidem eo magis, quo minus praeter opinionem, quidquam pro eadem militet.

§. 28. VII. Nervos partes similares nobilissimas, meo scitu, nemo adhuc nodos morbi Tsömör gerere culpare ausus est, cum tanta organisationis nervorum alienatio, absque eorum distentionibus incedere vix posset.

Etiam ossa per simplicem gastrismum in structura sua minime alienari, ideo tantum, puod Wolfgangus Höferus plane de tophis (termino pro ossium tumoribus designandis usu recepto) in morbo illo occurentibus referat, meminisse oportet.

§. 29. X. Restant tandem partes, quibus tendines in situ normali conservantur, et quibus motus eorum facilitatur: processus nempe, et continuationes aponeurosium, quae in locis ubi plures tendines concurrunt canales pro iisdem efformant, et vaginae tendinum, ac bursae mucosae, ita dictae, canales illis investientes; si ergo unquam existentia novorum, ut symptomatis distinctivi morbi Tsömör abunde demonstrata fuerit: quantum ex characteribus huedum tuberculis illis adscriptis collimare licet: bur-

---

*) Quae in vasorum lymphaticorum affectionibus perpetua sunt.

sa e illae mucosae, et vaginae tendinum sedem eorundem constituent: quod

a) nodi illi, et in antibrachio et in dorso, et in suris circa partes tendinosas passim residere asserantur; quod

b) partes istae ob structuram suam laxiorem, ob functionem secretione absolutam congestionibus activis, aut passivis facillime pateant: cum

c) phaenomena duritiei, et crepitationis, ceteraque per tendines illis partibus subjacentes pronum vix non habeant explicatum; quibus tandem

d) morbus peculiaris a D. Alf. A. L. M. Velpeau notatus quadamtenus suffragatur: *)

„Die Aponeurose gibt dem Extensor brevis, und dem Abductor longus pollicis, eine Scheide, welche um so fester und um so stärker ist, je mehr man sich der Handwurzel nähert. In diesem Canal liegen die Sehnen aufeinander, und die des Extensor brevis ist nach hinten. Ihre Oberfläche ist glatt, und mit einer Synovialmembran überzogen, welche auch das Innere ihrer Scheide auskleidet, und bisweilen sind sie durch eine dünne Scheidewand getrennt, welche den Canal in zwei Theile theilt — Dieser Canal oder die Organe, welche er enthält, sind ziemlich oft der Sitz einer sehr merkwürdigen Krankheit, welche wir bereits an zehn oder zwölf Individuen beobachtet haben, ob sie gleich in den chirurgischen Werken nicht erwähnt wird. Man sieht bei Gelegenheit einer Anstrengung, oder selbst ohne bekannte Ursache in dem Lauf der genannten Muskeln eine Anschwellung entstehen, welche niemahls sehr beträchtlich wird. Diese Anschwellung wird von Hitze und von Schmerz begleitet, welche gewöhnlich nicht sehr heftig sind, wofern der Kranke nicht sucht, den Daumen zu bewegen, aber das Merkwürdigste ist, dass man, wenn man den angeschwollenen Theil mit einer Hand umfasst, und mit der andern den Daumen bewegt, eine sehr deutliche Crepitation fühlt und hört, so, dass wir in einem solchen Fall gesehen

*) Velpeau Alf. A. L. M. Abhandlung der chirurg. Anatomie oder Anatomie der Gegenden des menschlichen Körpers in Bezug auf die Chirurgie betreffend — II. Abth. Aus dem Französ — Weimar 1826. — 8. I. Abth. s 394—395.

haben, dass ein Chirurg aussprach, es sei eine Fractur vorhanden, und eine Binde anlegte. Die Affection ist bei denjenigen Personen, bei welchen wir sie beobachtet haben, nach Verlauf von 14 Tagen, oder eines Monats, immer verschwunden, und zwar ohne dass eine der verschiedenen angewendeten Behandlungen mehr zur Heilung beigetragen zu haben schien, als die andere. Man mochte Blutegel in grosser Anzahl, und Cataplasmen appliciren, oder Campherspiritus, die ammoniacalischen, oder andere resolvirende Linimente anwenden, oder zu einer Compressiv-Binde, oder einfachen Binde seine Zuflucht nehmen; es war uns nicht möglich zu unterscheiden, welches von diesen Mitteln den Vorzug verdiene, und wir glauben, dass das rechte Mittel noch gefunden werden muss." — E re certe foret etiam morbum, et quoad aetiologiam, et quoad prodroma, ac symptomata seu formam, et quoad naturam penitius nosse, quo facto fors in determinatione remedii vel maxime congrui minus haesitandum esset; veri enim multum in eo est: „Si morbi cujuslibet historiam diligenter perspectam haberem, par malo remedium nunquam non scirem adferre;" — et certum est illud Tralliani: „ὁ ἄριστα γνοὺς ἄριστα θεραπεύει"

§. 30. Cober, qui primus morbum **Tschemerle** memorat, nullum adhuc nodum, aut tuberculum de eo refert — Geiger e contra, qui eum in litteratura proxime sequitur illa in tota corporis superficie reperiri vult; Joh. Theophil. Windisch, Milleter, Baty tubercula morbi Tsömör, ut illis enarrata fuerant, enarrant; Fuker e contra Haidenreich, Knie, Lübek, medici practici, qui morbum observarunt, nihil de tuberculis ejus compertum habent. — Sacra multis sunt verba Celsi litem rationalistarum, et empiricorum decreturi dicentis: *) „Proxima vero, neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab utraque nimium abhorrentia, media quodammodo inter diversas sententias; quod in plurimis contentionibus deprehendere licet sine ambitione verum scrutantibus, ut in hac ipsa re." — Tot quot volvamus Nosographos, gastrismos, febriculas gastricas in singulis reperiemus, tuberculorum tamen illis morbi Tsömör similium tanquam symptomatis illarum affectionum gastricarum observati, mentionem facit, praecipue extraneorum, nullus; — qui nodi, ut eos

*) L. I. Proemium.

passim describunt non constituunt symptoma subjectivum, tantopere enim coenaesthesis partium non alienatur, ut quisquam aegrorum morbum; aut ejus curam non noscentium se tubercula illa specifica, quibus, afficeretur, sentire unquam accusaret; verum saltem ad adhibitum remedium populare, validam nempe cum compressione conjunctam frictionem, eum vero dolore convictionem nanciscuntur se etiam nodis affligi; — ut adeo ubicunque frictio non adhibetur, de praesentia, aut absentia tuberculorum nec aegro, nec medenti quidpiam constat, inde neglectis modo praeprimis in civitatibus per aegros et medicos passim frictionibus, nihil de illis observatur; *) quae tamen adsunt, et semper adsunt, prout in omni gastrismo cujuscunque demum regni, aut nationis: ita in diversis aliis affectionibus imo in ipso statu sano, et normali: partes videlicet variae sub cuti sitae, ut in nucha, dorso partes musculosae, aut plane spinae, inter costas denditiones musculorum, aut aliae partes, in fronte nervi frontales qui in macilentis manifeste tangi possunt, a laicis, qui praecipui sunt tuberculorum defensores, facili negotio pro phaenomeno abnormi haberi queunt; quod et eo fors probatur, quod tubercula in morbo Tsömör primum quaerantur, ut adeo frictio initio instituatur lenis quasi investigatoria, ac dein successive fortior, sub qua ipsa fors partes sub cuti situatae praecipue bursae mucosae, et vaginae tendinum primo aliquantum intumescunt, per continuatam autem frictionem iterum imminuuntur. — Milleter p. diss. suae 29. refert „D. Reimann scribit: D. matrem suam lumbagine Rheumatica detentam cum horrore praegresso, et calore insigniori ostendisse in dorso palpantibus similes protuberantias. — D. Gensel vero testatur se in Italia quoque aliquoties vidisse hujusmodi nodos, licet in quibus morbis, non commemoret," et p. 34. „Frictionis efficacia celebratur ad uvulam relaxatam restituendam, in *Misc Ac. N. C. C. D. II. A. II. obs.* 56. a D. Joh. Ludv. Hannemanno, ubi non solum adducit Blancardum in Collectaneis suis Physico-medicis mentionem facientem felicis hujusmodi curationis per frictionem brachiorum uvulae relaxatae, sed ipsemet quoque suo, et domesticorum suorum exemplo fidem facit, saepius sibi, et suis uvulam prolapsam, hac methodo priori loco, citra aliud adminiculum restitutam fuisse, admonens tempore procidentiae uvulae exiguos

*) Quare nonnullis tuberculorum defensoribus morbus Tsömör genuinus pro affectione raro saltem occurrente habetur.

nodulos sub cute in brachio 2 digitos supra pollicem deprehendi, quos nodulos, nihil aliud esse existimo, quam initia tendinum pollicis extensorum, quae etiam alio tempore nodos fingunt." — Qui autem fiat, ut nodi illi, quos ex supposito partes etiam in statu normali praesentes mentirentur, sub frictione tantopere doleant, facilem admittit explicatum: si frictio institueretur lenis, vix ullus dolor per eam produceretur, sed valida illa manu in pugnum composita, pollice flexo, cum acuto primam, et secundam phalangem ejus jungente articulo, intensis viribus administrata frictio in partibus tantum non anaesthesia affectis tandem dolorem ciere debet, cui in statu alienatae, et exaltatae sub affectione febrili sensibilitatis tanto majorem esse necessum est, quo major eos discutiendi adhibetur conatus. Majoribus certe premeretur difficultatibus plenariam resolutionem enodare, a quibus tamen rei natura liberatur: frictio tamdiu instituitur; donec aegro jam maximis doloribus vexato, per mechanicam, et chemicam hujus remedii vim species dermatitidis levioris in partibus concernenticus oriatur, qua praesente ob cutis turgorem, et aliqualem tumorem nodi evanuisse videntur, quos pressione ob nimium jam dolorem prohibita, difficulter solum reperire liceret.

Missis itaque „*succis sulfureis, venenatis particulis imbutis, crassis, flatulentis, sangvinis, et lymphae motum retardantibus, aut sangvinem, et lympham corrumpentibus, et coagulantibus*" (J. T. Windisch.) nodos toties nominatos passim existere neutiquam negant: eos vero phaenomenon morbosum, symptoma distinctivum gastrismi in Hungaria contracti qui in se ab aliarum terrarum gastrismo ne hilum quidem differt, constituere, et ex causa pure pute dynamica oriri, nequaquam concedunt; cum non tantum originem tuberculorum durorum, ad pressionem crepitantium, imprimis supra radium loco jam saepius descripto obviorum per simplicem gastrismum vix concipi posse asserant; sed etiam experientia supra allegatorum observatorum, et medicorum practicorum (ut etiam plurium, apud quos de re inquisivi, medicinae hujatis Coryphaeorum) confirmari: in gastrismis, a nostratibus passim Tsömör nuncupatis, praeter partes etiam in statu normali palpabiles, cutis, glandularum, aut quarumcunque demum partium tumores, ut morbi recenter orti symptoma, nunquam locum habere; — sunt tamen, et magni nominis viri scientia, arte, et experientia ceterum non minus praeclari, etiam mediae huic quodammodo inter diversas sententias contrarii, et tuberculorum tanquam phaenomini abnormis, secun-

dum id, quod in proprio corpore, vel in eo aliorum morbo Tsömör affectorum tetigerunt, in hoc morbo existentiam praetendentes, quin tamen in partem, quam symptoma illud occuparet penitius disquirerent.

§. 31. Ex omnibus itaque recensitis elucet: Symptoma istud gastrismi Hungarici, si existit, nondum satis observatum, et scientifice investigatum esse, adeoque de positiva ejus in aegris existentia nullam adhuc genuinam possideri experientiam; cujus causae potiores sunt: a) quod morbus ille rarissime medici concredatur curae. b) Si autem medici expetunt auxilium plerumque tubercula, adhibita jam, ut remedio domestico, frictione dissoluta esse praetendunt. c) Morbus hic, ut affectio levior, periculi immediati nihil unquam involvens, a medicis passim minus scrupulose pervestigatur: unde non mirum plurima adhuc desiderari, quibus nodi illi Gordii non ictu quodam categorico, sed sufficientibus genuinae, et solidae observationis, et experientiae, datis scientifice solverentur, ut adeo innotesceret:

1. Utrum nodi multum praefati, symptoma status gastrici constituant, aut an etiam in statu sanitatis reperiantur?

2. Si etiam in statu relative normali adsunt, utrum in omnibus, aut saltem aliquibus, et qualiter constitutis individuis?

3. Si symptoma sint, qualibus characteribus physicis gaudeant, qua magnitudine, duritie, mobilitate; utrum manifeste circumscripti, marginibus definitis, aut plus minus confluentibus praediti sint, utrum compressibiles, et an uno compresso alii augeantur.

4. Quamnam corporis regionem prae ceteris diligant, quam constanter, quam saepe, quam rarius occupent?

5. Utrum in fronte, in parte capitis capillata occurrant, utrum aliquando per omnem corporis superficiem disseminati sint?

6. Utrum tendines in antibrachio, varia musculorum capita ad spinam vertebralem, nervi frontales in fronte, dentitiones variorum musculorum, vasa, et nervi superficiales etc. in normali statu semper praesentia, et sub frictione aliquantum rudiori quadamtenus crepitantia, non facile pro nodis illis haberi possint? Et quibus signis isti ab illis partibus differant?

7. Quando sub statu gastrico nodi accedant, utrum mox post pastum, an, et quot horis post eum?

8. Utrum nodi jam ante frictionem adsint, aut sub ea primum efformentur, aut saltem increscant, et an tandem penitus resolvantur, ac utrum in iis, qui morbo saepius obnoxii fuerant reipsa majores sint, nec ne?

9. Quamdiu nodi absque frictione persistant?

10. Utrum frictionem absolute ad sui resolutionem requirant, aut an illa neglecta cetera cura rationalis, ut morbo etiam illis solvendis sufficiat?

11. Utrum in Hungaria occurrant quandoque gastrismi (omnes enim, semper hoc symptomate stipari nec unquam quis asseruit, nec expertus est) in quo praeter cognita hujus affectus morbosi signa etiam nodi illi praesto essent?

12. Si occurrant, an aliquod, et quod momentum climaticum in illorum efformationem conspirare videatur?

13. Quibus Hungariae partibus, quibus earum incolis familiaris, et utrum in genere frequens sit?

14. Utrum ergo, et in quantum nomen Endemiae mereatur?

15. Utrum idem symptoma non etiam gastricismis alibi occurrentibus, aut aliis affectionibus morbosis, et quibus conveniat?

16. In quo consistat morbus a D. Velpeau indicatus, et §. 29. diss. hujus memoratus *), utrum sub causisejus nondum cognitis, non etiam gastrica lateat, et in quanam morbus Tsömör ad eum est relatione?

17. Tandem quasnam partium corpus hominis constituentium sedem illi symptomati praebere rationis legibus, et experientiae datis maxime conforme sit?

§. 32. Solutiones autem harum quaestionum utram tandem confirmaverint e contrariis supra allatis sententiis, quantum hucusque experientia passim constat:

Morbus Tsömör semper erit: *Simplex nausea,* vel *Vomitus saburralis,* vel *Febricula gastrica ephemera* absque, aut cum tuberculis sub cute obviis, per frictionem etiam moderatam, aut sudorem suapte secutum resolvendis, nec prognosim; nec therapiam peculiariter dirigentibus.

Utrum autem endemius dicendus sit, nec ne: notio endemiae decidet; hujus nomine pathologis venit morbus latius

*) Cujus affectus quadamtenus acuti — crassa esset cum Ganglio, quod ceteroquin, etiam in partibus illis synovialibus residet, confusio.

per incolas cujusdam regionis extensus, in cujus causas non tantum latitudinem, longitudinem geographicam, elevationem supra maris libellam, solum, aquas, vicinitatem, varias inde dependentes modificationes factoris vitalis externi, verum etiam vitae modum physicum, psychicum in populo vigentem, influxus morales regiminis formae, et religionis dominantis, a climaticis loci adjunctis potissimum minime dependentes, passim numerant; sed nec in momentis clima determinantibus, nec in moralibus influxibus apud nos vitium est, de gastrismis producendis male audiens; ast soli foecunditatem, et lautam, quam apud nos passim vivere consverunt vitam, secundum illud Hippocratis: „Πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσεί πολεμιον" i. e. *omne nimium naturae inimicum* (S. II. A. 51,) tanquam influxus late omnino per Hungariam patentes accusare, et vocem endemiae sensu vere etymologico sumere oportet: Si *statum gastricum*, aut *Febriculam gastricam ephemeram* Hungariae, aut potius Hungaris *endemium* dicere volumus.

§. 33. Quid in singulis morbi casibus portendendum sit, ejus decursum, et exitus cum factoribus morbi, morbo ipso, ceu eorum producto, et factoribus salutem reddentibus rite ponderatis, mox eruetur. Saepe aegri felici adeo a natura gaudent complexione, quae ipsa potentiae nocenti in corpus illatae iterum per vomitum, diarrhoeam ejiciendae, aut subactae per sudorem egerendae sufficiat, salute integra alioquin subsequa. — Individua autem imprimis cholerica, praecipue animi affectibus, et aestivo calore concurrentibus, quod ultimum in messoribus saepe locum invenit, facillime Febrim gastrico-biliosam nanciscuntur. Illis vero, quos peculiaris systematis nervosi, imprimis gangliosi, imbecillitas distingvit, gastrismus praesertim autumno, pomorum (aut, ut vulgo dicunt, fructuum horaeorum) abusu etiam accedente, contractus (quem tamen ob formam mox mutatam Tsömör raro vocant), jam in diarrhoeam, aut genio, qui tunc maxime regnat, morborum conformiter, in dysseuteriam abit, jam vero evoluta ex eo febris gastrico-saburralis, aut gastrico-biliosa, initio continuo remittentes, typum intermittentis assumunt, utplurimum tertianae, rarius quotidianae, aut quartanae. — Ubi tam interna, quam externa momenta in vis vitalis perniciem conspirant, imprimis si epidemia stationaria (ut nunc jam per plures annos *gastrico-nervosa* vigens) aut intercurrens (qualis hyeme anni $18\frac{35}{36}$ *typhosa-contagiosa* apud nos observata fuit) ei faveant, febris nervosae, putridae, imo in carceribus, castris, et ubicunque animi affectus ingrati, ni-

miae corporis adstrictiones, ac omnis factoris vitalis externi prava indoles concurrunt, etiam Typhus contagiosus evolvitur; prout olim evolutus fuit, quod confusio morbi *Tsömör* cum *febri castrensi* in Cobero, et aliis eum sequentibus auctoribus manifeste comprobant,*) et semper ubique evolvetur, quousque organismus haminum influxibus nocivis certum gradum relativum superantibus resistendo impar fuerit. — Jure autem peregrini, ut a gastrismis sibi in Hungaria caveant, monentur. „Nam neque ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transitus satis tutus est.“ (Celsus L. 1. C. 3.) — „Mutatio quoque a consvetis in nova, est ubique semper maxime periculosa, licet ex malis in bona transiverit“ (Boerhave) et „lecti de duro in molle, ex cibis malis in bonos mutatio corpori noxam adfert“ (Hipp.) — facile autem inter tot, quae possidemus bona, illis nova, viventes iis abutuntur, quae delicta apud nos, aeque ut alibi, morbus punit, remediis tamen rationalibus in tempore adhibitis nunquam non facile cedens. —

§. 34. „Prima condendae artis fundamenta jecit: 1 Casus fortuitus. 2. Naturalis instinctus. 3. Eventus haud praevisus; his enim ἐμπειρία simplex nititur primo“**) Curae popularis morbi Tsömör quaedam partes naturalem certe instinctum pro fonte agnoscunt; simpliciora enim, et magis convenientia remedia contra malum illud gastricum dictari vix possent, quam ventriculo abnormiter repleto inducias concedere, partes autem laugventes per exercitationem, et frictionem excitare; quorum efficaciam salutarem jam Celsus (L. II. C. 16.) laudat dicens: „Neque ulla res magis adjuvat laborantem, quam tempestiva abstinentia,“ et L. IV. C. 5. „Exercitatio primo lenis, deinde major adhibenda est. Post exercitationem unctione, frictione opus est“ „frictione enim utendum cum digerendum in eo (corpore) quod copia nocet“ (L. II. C. 14.) Ita etiam vinum merum, quod mox post cibum ob copiam, aut indolem digestu difficilem, dosi moderata ingerendum suadent, Hippocraticae experientiae gaudet suffragio.

Multi omnibus illis neglectis, titillatione faucium vomitum cient, sicque a toto liberantur morbo; medicis quibus-

---

*) Ita etiam typhus contagiosus hyeme supra memorata Pesthienses affligens, saepissime e gastrismis evolutus est.

**) Boerhave Herrm. Institut. med. in usus annuae exercitationis domesticos digestae. Norimb. 1756. 8. — Proleg. §. 8.

dam subinde in usu est, praecipue ubi nausea, et vomituritiones eminent, aquam tepidam majori copia hauriendam exhibere, quam vomitus largus, saepe et diarrhoea sequitur una cum sudore, morbo sublato; quibus nonnulli unam alteramve guttam 5. — 6. evolutionis *Tinct. Chamomillae* cum saccharo exhibitam jungunt, effectu itidem salutari gaudentes. Eundem in scopum laudat Cober (Dec. II. Obs. III. Schol.) Tres — quatuor guttas tincturae compositae ex *Essentia Asari Europaei, Essentia Raphani Austriaci,* et pauca *Croci Tinctura* ob correctionem admixta, quas modo decocto conveniente, modo saccharo rosato exceptas facile vomitus concitasse vidit. *)

In supra jam laudato nosocomio civitatensi hujati unico emetico, potissimum ex Tartaro stibiato simplicissime exhibito, omnis tollitur Tsömör; saltem ubi morbus e causa supra, §. diss. h. 20, adducta cum affectione manifeste rheumatica, incedit, usus ungventi, aut linimenti volatilis, ab ista complicatione accidentali, morbo principali jam sublato, facillime liberat.

Si itaque, quod in genere certo rarum est, medico hic concreditur morbus: ubi se quis replevit, et nota ventriculi ejus energia spes est eum ingesta subacturum, neque huic nimia illorum copia, aut prava nimis indoles contraria sit, praeter abstinentiam, validissimum adversus stomachi vitia ex repletione praesidium, commendamus moderatum corporis exercitium, singulas ejus functiones impellens. — Simplicissima haec vitae modum, „qui multum admodum in omnibus corporis malis proficit" potius concernentia, in casibus idoneis etiam pharmacis juvare e re erit, e quorum thesauro talia imprimis legisse juvabit, quae actionem systematis gastrici incitando, et quoad modum alterando, ceteras functiones in eo radicatas corrigat, simulque areas corporis periphericas in vitalitate exaltet, quibus respectibus peculiariter Tartarus stibiatus dosi refracta se commendat, cum parca Salis ammoniaci quantitate in decocto quopiam solvente combinatus. Si vero ventriculus, his etiam subsidiis adjutus subigere ingesta haud valeat, tandem, aut ubi aegro id consvetudini est, mox

---

*) Quae Asari (Kapotnyak gyökér) radix — pront etiam dtum r. infus. Partis internae viridis corticis Sambuci (Bodza gyökér' kérgének belső zöldes része) — quandoque semina Ricini (Himboj magva) 4 — 12 a plebe ut emetica popularia adhibentur.

Hippocratis sequimur legem (Aph. 22. S. II.) ἀπὸ πλησμονῆς ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἰῆται i. e. *a satietate si morbi oriuntur vacuatio sanat*" et Aph. 21. S. I. ἃ δεῖ ἄγειν ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ ταύτῃ ἄγειν διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων i. c. *quae educere oportet, quo maxime vergunt, eo ducito per loca convenientia*. Potissimum itaque contraindicationibus absentibus, aut quantum fieri potest remotis, vomitus ciendus est: non habemus quidem amplius lora vomitoria, ut athletae veteres, qui quotidie ejicientes vorandi facultatem moliebantur, sed et apud nos penna, vel digito quam longissime in fauces detruso, aut aliis adminiculis mitioribus vomitus provocatur, qui si non sufficiet, aut leviori hoc agendi modo non succedat, pharmaco succurrendum est: Tartarus emeticus congrue exhibitus ceteris utplurimum palmam praeripit, ἄνω, et κατω evacuationes movet, aeger dein fatigatus potissimum pacate dormit, et critice sudat: morbo omni sublato: „Vitia enim ex mala concoctione nata optime somnus, et perspiratio liberior discutit," et „Liberior perspiratio, quae aucto sangvinis circulo fit, stomacho laborantibus bene succurrit, et ad concoctionem juvat" (Frid. Hoffmann) — Quare etiam frictiones moderatas, aut nuda manu, aut panno aspero siccas, vel quibus lubet cum saliva, aut aceto tenui, verum absque acribus, institutas, cum omnino cutis vitalitatem excitent, ad alacrius functionum ejus exercitium invitent, dynamicam, et materialem a partibus internis, magnum aegro levamen afferendo, derivationem praestent, sicque circulum, respirationem, cerebri motus, et actionem evinculent, eo minus rejici volumus: quo majorem aegri illis fidem adhibent; de cura enim aliis remediis frictionibus exclusis tuto perficienda parum sperant; adminiculo e contra huic mechanico-dynamico, quod adjectis acribus et momento chemico augere conantur, omnem morbi sanationem in acceptis referunt; cum vires ejus excitantes, allicientes, derivantes, ut magneticas, et electricas taceam, vix non ad primam statim applicationem salutarem suam explicent efficientiam, quae adhuc fide aegri (praecipue in illis habitus nervosi) in curam insigniter augetur, ut vel ad singulum frictionis motum majus levamen aeger sibi afferri annuntiet, dolorem, qui per violentam utplurimum frictionem non levis excitatur, quadamtenus leniens. — Frictiones tamen validae nimis, cum acribus institutae, ad cutis inflammationem, et excoriationem protractae omnino rejiciendae, nec unquam adhibendae sunt; malo enim certe malum addunt; etsi pericula a J. Th. Windisch (diss. suae p. 22) narrata, unice per frictionem va-

lidiorem provocata, mihi tantum non constent; neque ad „febrim lethalem, acutam, et causonidem," in quam Cosacorum dux 1599 cum satis intempestive hac frictione usus esset incidit, unice istas contulisse, quis asseret, non immemor eundem Dominum generosum ex Coberi relatione „alias eduliis aromaticis, vinoque vixisse." (Coberi Obs. VI. D I. Schol.)

Medicina alvum ducens rarius certo indicata, rarius adhibetur, quidquid autem sit: evacuans non vesperi, sed matutino utplurimum datur tempore, quod in nervosis, hypochondriacis, et hystericis saepius huic malo obnoxiis perpetuum est: „Cum eo tempore (vesperi) fere pessimi sint, qui aegrotant, verendum est, ne si quid tunc moverimus fiat aliquid asperius" (Cels L. III. C. 5.)

In longe plurimis casibus morbus laudatae methodo cedit quod ni fiat: ulteriori suo decursu jam febris gastricae, jam biliosae, aut alius, in quam metaschematismus contingit, therapia auxilio erit: sed adminicula supra allegata, vix non semper felici successu reconvalescentiam adducunt, quibus nonnulli „neque tantum laboranti stomacho in concoctione juvanda evacuantibus, sed et roborantibus succurrendum" cum Frid. Hoffmanno juste censentes Colophonis instar amarum quoddam addunt; simplex alioquin, et levius, ut ei ventriculus sufficiat; alii majorem, vel minorem ejus imbecillitatem per morbum, et curam semper residuam naturae vincendam committunt, serio monendo cibum omnem nimium, aut quemcunque dyspeptum convalescenti summe alienum, et vanum metum ob levissimum etiam alterationis sensum post cibi assumtionem perceptum, ponendum esse, ex aequo sua dent; ne huic aut aliis in aetiologia memoratis momentis indulgentes in malum, quod verentur, tanto promtius incurrant „Illud enim quoque in omnibus stomachi vitiis praecipiendum est, ut quo modo se quisque aeger refecerit, eo sanus utatur: nam redit huic imbecillitas sua, nisi iisdem defenditur bona valetudo, quibus reddita est" (Cels. L. IV. C. 5.) Quae simul tutissima sistunt praesidia etiam illos, qui morbo secus frequentius obnoxii erant, ab eodem defendentia. —

§. 35. Illa quidem perpetua sunt: sive solutiones problematum §. 31. propositorum Tubercula toties nominata, ad essentiam morbi vix quidquam facientia, sive Fukeri confirmaverint epilogum dicentis: „Et haec fere Historia morbi Tsömör habet; singularis prorsus nihil. Saltem ego, quem pluries vidi morbum, et qui apud plurimos de eodem inquisivi, aliud nequidquam scio. Nihil endemici,

nihil characteris in eodem est, quod eum ab aliis aliarum regionum morbis, dietae causae effectibus diversum notet; unice excepto, si vis, nomine" (Fuker de salubr. et morb. Hung. p. 97.)

Quibus tandem, quae de morbo Tsömör norunt, novi et penitius noscenda forent, quae circa eum agunt, egerunt, et agenda sunt, fors non obscure, non manca evolvi, in omnibus, quae attuli, semper adnisus singulis genium symboli capiti disquisitionis praefixi imprimere; monita in rem eodem principio nixa, et genuinam experientiam pro fonte agnoscentia benevole communicata gratissimo semper recepturus animo; cum, ut singuli est medici, et ego primum semper habeam, et habiturus sim nunquam non dignum esse illius Halleri de se ipso enunciantis:

„D'ecouter la Nature, il fit sa Loi supréme,
Il soumit le savoir à cette autorité;
Il sçut chez l ennemi cherir la verité,
Et haïr l'erreur chez lui-même."

Litteratura.

Speciatim de morbo Tsömör egerunt:

Kölesérÿ de Kereseér Sam. de Scorbuto Mediterraneo Daciae. Cibini. 1707. 12-o.

Windisch Joh. Theophil. dissert. inaug. med. de Langvore Pannonico. Erfordiae, 1714. 4-o.

Milleter Joann. disput. inaug. med. de morbo Tsömör Hungaris endemico. Lugduni Batavorum, 1717. 4-o.

Recusa Lausanae 1760. et inserta disput. Hallerianis ad histor. morb. et curat. facient. T. VII. parti II.

Auctores in variis suis operibus etiam morbum Tsömör commemorantes:

Coberi Thob. Med. Dr. Phys. Castr. Observationum castrensium, et Ungaricarum Decades tres. Francofurti, 1606. 8-o. Recusae 1685. in 4-o.

Geigeri Malachiae Microscosm. Hypochond. Monachii, 1652. 4-o.

Paterson — Hain Johann. de morbis Hungariae endemiis, et mineralibus quibusdam Hungariae; in Ephemerid. Medico-Physic. Germanic curiosis. Dec I Annus II. Jenae 1671. 4-o. Obs. 28.

Höferi Wolfgang. Phil. et Med. Dr. S. C. Majest aulae med. Hercules Medicus, sive locorum communium liber, in quo plerorumque humani corporis affectuum curationes attinguntur, et quidquid in iis vel Theoretico, vel Practico consideratione dignum compendiose pertractantur etc. — Norimbergae, 1675. 4-o. p. 326.

Hoffmanni Frid. Opera omnia Medico-Physica, denuo revisa correcta et aucta. VI. Tomi. Genevae, 1748. Folio. — Tomo VI. p. 205 — 206.

— — Gründliche Anweisung, wie ein Mensch sich vor dem frühzeitigen Tod verwahren soll — Tom. V. p. 500—508. *)

*) A Baty adduct.

Boissier de Sauvages Francisci Nosologia methodica sistens morborum classes juxta Sydenhami mentem, et Botanicorum ordines II. Tomi. Amstelod. 1768. 4-o. — Tomo I. p. 802.

Carthenser Frid. Joh. de morbis endemiis libellus. Francofurti ad Viadrum 1771. 8-o. — p. 73.

Baty Joann. Specimen inaug. medic. sist. descriptionem quorundam morborum Hungaris endemiorum, et remediorum iisdem familiarium, et quasi domesticorum, Trajecti ad Rhenum, 1775. 4-o. — p. 9—17.

Fuker Frid. Jac. Medici Hungari de Salubritate, et morbis Hungariae Schediasma. Lipsiae Sumtibus. Ant, Loewii bibliop. Posoniensis, 1777. 8-o. — p. 90—97.

Haidenreich Joan. Ludov. Phys J. C. Arad. — Medicina Aradiensis. Temesiae. — 4-o. p. 32—35.

Finke Leonh. Ludw. Versuch einer allgemeinen medicinisch-practischen Geographie, enth. d. histor. Theil der einheimischen Völker- und Staaten-Arzneik. — III. Bd. Leipzig, 1792—1795. 8-o. — B. II. S. 197.

Knie's Jos. Mart. der Arznei Dr Clinische Anecdoten über die Sanitäts-Beschaffenheit d. k. F. Szegedin. Pesth, 1788. 8-o.

Lübek Dr. Joh. Carl Über die medicin. und naturhistor. Litteratur von Ungarn. in der Zeitschrift von und für Ungarn, herausgegeben von Ludwig v. Schedius, Dr. der Philosophie etc. etc. Pesth, 1803.

Bene Francisci M. Dr. Consil. R. Prof. P. O. etc. etc. Elementa Medicinae Practicae V. Tomi. — Pesth, 1833—1834. 8-o. T. I. p. 134.
